This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ln 28.5
*


SIGILL · COLL · HARVARD · CANTAB · NOV · ANGL · MDCL
CHRISTO ET ECCLESIAE
EX DONO
THOMAE HOLLIS, ANGLI,
HOSPIT · LINCOLN ·
REG · ET ANT · SS · LOND ·
SODALIS
Apr. 19,
1850.

S
.5

SEVERI SANCTI

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI

DE

MORTIBUS BOUM

CARMEN;

AB VINETO ET PITHŒO

Notis Weitzii, Soberi, et Warneckeri.

Edited by Dr. GILES.

Seven Shillings and Sixpence.

54-84

SEVERI SANCTI

CARMEN

DE

MORTIBUS BOUM.

SEVERI SANCTI,

[Endeleichi]

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI

DE

MORTIBUS BOUM

CARMEN;

AB

ELIA VINETO ET PETRO PITHÆO

SERVATUM

CUM NOTIS ATQUE PRÆFATIONIBUS

JOHANNIS WEITZII,

WOLFGANGI SEBERI,

ET

JO. CHRISTIANI WERNSDORFII,

EDIDIT JO. A. GILES, L. L. D.

COLL. CORP. CHR. OXON. NUPER SOCIUS.

ACCESSIT IN FINE LIBRI INDEX VERBORUM JUXTA SERIEM VERSUUM COPIOSUS.

LONDINI:

SUMPTIBUS JACOBI BOHN,

KING WILLIAM STREET, CHARING CROSS.

1838.

"Only 100 copies printed." Stewart's Catalogue of Fathers &c.

L 1285
*

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1850 April 19
Hollis Fund 8 cents at auction

FREDK. SKILL, PRINTER, QUAY, YARMOUTH.

PRÆFATIO EDITORIS.

De hac, quam nunc in manum lectori trado, Severi Sancti editione, multis verbis supersedendum puto. De auctore ipso, utrum idem cum Endelichio esset, item de aliis quæ ad eum spectent, non sine multo fructu consuli potest Wernsdorfii notitia. Hoc tantum lector monendus est, me omnia, quæ editionibus Wernsdorfii et anonymæ Lugdunensi (an. 1715) insunt, ita disposita ut in unum satis cohærerent, in hoc libro congregâsse.

TABULA

Eorum quæ in hoc volumine reperiuntur.

I.—Præfatio Editoris Anonymi Lugdunensis 9

II.—Wernsdorfii Notitia de Severo Sancto 13

III.—Weitzii Dedicatio 23

IV.—Severi Sancti Carmen de Mortibus Boum 25

V.—Notæ Weitzii, Seberi, et Wernsdorfii ad Carmen de Mortibus Boum 35

VI.—Index verborum juxta seriem versuum 65

I.—PRÆFATIO EDITORIS ANONYMI

Lugdunensis.

LECTORI OMNIA FAUSTA.

A QUO tempore partes generis humani ad societatem cultius expoliendam transferri cœperunt, studiose semper curatum seduloque provisum fuit ab sapientioribus, ut omnium, quæ accidere solent non tantum usitatiora, sed perinde etiam rara et per longam ætatem infrequentia, tamen exstarent legique ac nosci possent documenta. Ad hanc causam evoluta et inquisita assidue volumina sunt, in quibuscunque gentibus ac regionibus conscripta, ut excerptæ tales memoriæ et ipsum lectorem et unumquemque hominem adjuvarent. Quanquam quid refero volumina? Immo hoc commoditatis genus, publice privatimque necessarium credere licet jam ante editas et digestas historias agnitum et promotum fuisse per antiquissima recordationis exercitia, quum satagerent gauderentque ulterioris temporis narrationes præsertim de majoribus propagare ad progeniem ipsis cantilenarum meditamentis. Quippe in consiliis, in vitæ actu, in rerum mutatione, quæ ferme perpetua hominem continet, etiam in affectuum motu utile admodum et ex re humana censuerunt, ante oculos habere specula, et



54-84

SEVERI SANCTI

CARMEN

DE

MORTIBUS BOUM.

SEVERI SANCTI,

[Endeleichi]

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI

DE

MORTIBUS BOUM

CARMEN;

AB

ELIA VINETO ET PETRO PITHŒO

SERVATUM

CUM NOTIS ATQUE PRÆFATIONIBUS

JOHANNIS WEITZII,

WOLFGANGI SEBERI,

ET

JO. CHRISTIANI WERNSDORFII,

EDIDIT JO. A. GILES, L. L. D.

COLL. CORP. CHR. OXON. NUPER SOCIUS.

ACCESSIT IN FINE LIBRI INDEX VERBORUM JUXTA SERIEM VERSUUM COPIOSUS.

LONDINI:

SUMPTIBUS JACOBI BOHN,

KING WILLIAM STREET, CHARING CROSS.

1838.

"Only 100 copies printed." Stewart's Catalogue of Fathers &c.

L 1285
*

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1850 April 19
Hollis Fund 8 cents N.E. America

FREDK. SKILL, PRINTER, QUAY, YARMOUTH.

PRÆFATIO EDITORIS.

De hac, quam nunc in manum lectori trado, Severi Sancti editione, multis verbis supersedendum puto. De auctore ipso, utrum idem cum Endelichio esset, item de aliis quæ ad eum spectent, non sine multo fructu consuli potest Wernsdorfii notitia. Hoc tantum lector monendus est, me omnia, quæ editionibus Wernsdorfii et anonymæ Lugdunensi (an. 1715) insunt, ita disposita ut in unum satis cohærerent, in hoc libro congregâsse.

TABULA

Eorum quæ in hoc volumine reperiuntur.

I.—Præfatio Editoris Anonymi Lugdunensis 9

II.—Wernsdorfii Notitia de Severo Sancto 13

III.—Weitzii Dedicatio 23

IV.—Severi Sancti Carmen de Mortibus Boum 25

V.—Notæ Weitzii, Seberi, et Wernsdorfii ad Carmen de Mortibus Boum 35

VI.—Index verborum juxta seriem versuum 65

I.—PRÆFATIO EDITORIS ANONYMI

Lugdunensis.

LECTORI OMNIA FAUSTA.

A QUO tempore partes generis humani ad societatem cultius expoliendam transferri cœperunt, studiose semper curatum seduloque provisum fuit ab sapientioribus, ut omnium, quæ accidere solent non tantum usitatiora, sed perinde etiam rara et per longam ætatem infrequentia, tamen exstarent legique ac nosci possent documenta. Ad hanc causam evoluta et inquisita assidue volumina sunt, in quibuscunque gentibus ac regionibus conscripta, ut excerptæ tales memoriæ et ipsum lectorem et unumquemque hominem adjuvarent. Quanquam quid refero volumina? Immo hoc commoditatis genus, publice privatimque necessarium credere licet jam ante editas et digestas historias agnitum et promotum fuisse per antiquissima recordationis exercitia, quum satagerent gauderentque ulterioris temporis narrationes præsertim de majoribus propagare ad progeniem ipsis cantilenarum meditamentis. Quippe in consiliis, in vitæ actu, in rerum mutatione, quæ ferme perpetua hominem continet, etiam in affectuum motu utile admodum et ex re humana censuerunt, ante oculos habere specula, et

intueri velut imagines, ut ex alienis factis moneri ac ducere officii tui formam posses; sciresque in ea parte non te primum, non te solum esse, cui ingrata, immo et amara superveniant, queis fortem animum opponeres.

Inter alia satis multa tristia aliquamdiu per Europam dominatur pernicies, ut res docet, proxima contagiosæ, quæ per armenta serpens et tum stabula, tum pascua, per æstatem juxta et hiemem, ad solitudinem redigens, subtrahit huic sæculo illas ipsas per alia sæcula solas divitias habitas. Dubites an castigetur mutata sententia, qua aurum et argentum in eorum vicem subjecta sunt ac fœdissimam his temporibus sitim sui attribuerunt, aurum spirantibus ac loquentibus urbanis, pecuaria re rusticis aut laneis attributa. Certe in his terris id experimur, ut modo quasi in lupina rabie universam pascentium cohortem brevi spatio trucidans, nunc per paucorum rapinam delibans et intra exiguum numerum coercens veneni sui tabem discedat, ita ut ab tribulibus et proxime vicinis quoque abstineat. Sed quasi voluisset monstrare tantum se grassari, non discedit bona fide, nec in perpetuum. Immo quasi omnia integra et libera velut ad quoddam arbitrium reservavisset, ubi libuit, præter exspectatum rursus incumbens et atrocissime sæviens, eandem reliquis, quæ nuper reliquerat, mortem infert, sic deriso mimico, quod videbatur indulsisse, emolumento domini, etiam carne maculosa et letifero pure infecta. Ita quidem per hanc βουνόμην et adeo mollem planiciem, per hæc litorea pascua bacchari in damnosissima strage cœpit, non simul universa in eodem climate corripiens, sed in tractus quosdam velut destinatos huic fato et casui se demittens cum plurium gemitu et dolore, ut tamen deinde per omnia se exporrigat.

Unde Vir Amplissimus evolvendis per otia librariis pluteis quos nactus est affatim copiosos, suetus se oblectare, incidens in carminis hujus exemplar ex editione, qua id dignatus fuit *Joh. Weitzius*, in sinum suum reponere non neglexit, ut sæpe in circulis et conventibus proferret, sane tempestivum, quum prorsus exprimeret calamitatis præsentis speciem. Itaque et legit, et legendum variis tradidit, et cum mirabunda attentione audiri sentiens, putavit operæ pretium fore, fidei etiam suæ ac dignitati conveniens, si hoc carmen innotesceret omnibus, vel quo gratularentur sibi, quibus adhuc ea pestis pepercerat; ut dicitur in hoc carmine *transilire alios*, sed ita, ut videntes mirifice id vagari induerent sanctum tremorem erga id, cujus ea est potestas; vel quibus illa nocuerat, hactenus fruerentur solatio, dum ignorantes antea tam grave sidus Europæis armentis incumbere, et querentes ignota se clade opprimi, ex his versiculis, quibus *οὔτ' ἔαρ γλυκερώτερον* ex Theocrito recte agnoscit *Weitzius*, edocti agnoscerent esse quandam et armenti pestem, et illo utique tempore et sæculo accidisse idem, et forsan sæpius, sed oblivione per vetustatem et scribendi inertiam non innotuisse posteris et intercidisse notitiam.

Quod quum existimaret fieri non debere nisi cum aliqua præfatione, qua clarius exponeretur, si qua erui possent vel ad nominis, quod præfert, ampliorem cognitionem, vel ad ipsius carminis indolem et ætatem; quis non ad desiderium tam æquum omni promptitudine optaret respondere; immo voluntati Conspectissimi et Sapientissimi Viri quacunque ista opera velificari? præsertim quum id debere fieri cogant quoque verba *Joh. Weitzii*, quibus aperte fatetur anno 1611, quo XXXV natalem suum celebravit, ipsum literis literatisque tan-

topere faventis *Jac. Bongarsii* benignitate primitus oculis suis hos versiculos, quos et indice et in præfatione et in notis afficit appellatione *Carminis Bucolici*, quam illi dedit Pithæus in indice istis Epigrammatibus præfixo utriusque editionis, usurpavisse. Quæ sane verba docent ab *Weitzio* et pro rarissimis habitos fuisse, et de illis nihil aliud cognitum, quam ante id tempus extitisse tantum in hac editione Ant. Candidi anno 1596, unde descriptam exhibebat primam notam, satis inerti modo sine ulla mentione Petri Pithæi, qui fasiculum istum epigrammatum ab Candido tunc editorum, non prima vice, sed ex antecedentis editionis exemplo non tantum collegerat, sed fortasis etiam edendo præfuerat, et solus primam editionem curaverat, in cujus notis Vir ille summus debitum grati animi indicium protulit erga doctissimum Eliam Vinetum Santonem, unde acceperat.

Est enim certe penes me editio plicæ minoris, quæ in fronte profert "Parisiis apud Nicolaum Gillium, via S. Joannis Lateranensis, sub trium Coronarum signo MDLXXXX cum privilegio" cujus privilegii summa ab tergo paginæ annexa est. Sed in fine pag. 491 adsunt hæc "Parisiis. Excudebat Dionysius Duvallius typographus anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo nono, mense Septembri" Itaque horum duorum nomina exprimuntur etiam in privilegio. Tum successit altera editio Antonii Candidi, cujus typographia id perfecit Lugduni, quum in fronte ipsa positum sit *apud Jacobum Chouet MDXCVI.*

Hæc igitur sic aliquamdiu relicta sunt, ut parum potuerint ad meliorem lucem promoveri. Certe hinc est, quod Eximius ille studiorum omnium scrutator et adjutor Gerhardus Johannes Vossius in opere de Poëtis Latinis, quum pervenisset ad extrema Constantini

tempora, de Aquilio Severo producens memoriam ab Hieronymo datam ita scripserit: " In collectione epi- " grammatum et poematiorum veterum, quæ Lutetiæ " Parisiorum prodiit An. 1590 cura Petri Pithæi (is " enim et collectionis et notarum auctor, etsi nomen non " expressit) legas Eclogam Bucolicam sic inscriptam " pag. 449. *Carmen Severi Sancti, id est, Endeleichi* " *Rhetoris, de mortibus boum.* Sed annotat Pithœus, " videri hunc eo, de quo Hieronymus, antiquiorem" Sic isto loco Magnus ille Vir. Jam vero in capite VIII, quod est de Poëtis Latinis incertæ ætatis, quos tamen fuisse constet ante tempora Caroli Magni, inter " alia id posuit: " Endeleichus Rhetor, sive Severus " Sanctus, eclogam scripsit de mortibus boum: quam " ab Elia Vineto Santone acceptam publici juris Pithæus " fecit in epigrammatis et poematis veteribus, Lutetiæ " editis anno CIↃIↃXC." Ita duabus jam appellationibis incipere frui hoc carmen audimus, tum Carmen Bucolicum, tum Eclogam Bucolicam, ex quibus Eclogam reliquerunt posteri Vossio, Carmen Bucolicum ubique ostentatur, ut patebit. Quippe et antea jam et eodem tempore inceperat intrare animos quorundam cupido videndi scripta in Bibliothecis latentia, quæ vel ad fidem Christianam pertinerent vel auctorem haberent Christianum, in unum congregata; id quod sub indice Bibliothecæ Patrum præstitit inprimis Margarinus de la Bigne, cujus prima editio prodiit anno 1575, in qua non conspicitur hoc carmen, scilicet quia nondum Pithæana curiositas huic operi istam materiam præstruxerat. Secunda vero editio anni 1589 jam tomo 8 pag. 275 illud aggregavit, exemplarque diligenter ab Viro studioso lectum et subnotatum detinent Academici Plutei, sed ubi pessime exhibetur *censibus et referat.* Tertia editio

est anni 1624, ubi rursus tomo III pag. 579 exhibetur, et in utroque ponitur hæc inscriptio *Severi Rhetoris et Poëtæ Christiani Carmen Bucolicum.* Tum: *Incipit carmen Severi Sancti, id est, Endelechi Rhetoris de mortibus boum;* et vitia eadem renovat.

Cæterum nec ipse ille Margarinus, nec ulla ex editionibus indicare voluit, unde eam adeo suavem et blandam appendicem istius molis vel incrementum petierit, nedum ut doctissimo Petro Pithæo merita laus tribueretur, cui tanquam servatori hujus carminis gratias perpetuo agi oportet; quam facili alioquin hujus chartulæ interitu, nisi ipse ab Vineto acceptum illic anno 1590 consecravisset posteritati? Ita nihil inde discimus, quod meretur sciri; discimus modum, quo tales sartores misera sua studia instituerint. Quid ergo tandem quarta editio illius Bibliothecæ Patrum Lugduni per Anissonios elaborata et in tantum aucta? Illa vero præripuit mihi, quod poteram huc pro meo adferre. Nam quum eruditissimas Jac. Sirmondi notas ad Sidonium Apollinarem legissem, mihique notavissem, quod egregium ad hujus versificatoris nomen illic protulit; in hac Patrum editione concipitur hæc formula, tum in primo tomo posita, ubi digeritur inscriptus index Alphabeticus authorum omnium et opusculorum in tomis XVII Bibliothecæ Maximæ; tum in Serie authorum et opusculorum tomi VI: "Severus Rhetor scripsit carmen " Bucolicum, quod extat f. 376, ex quo carmine videtur " posse colligi authorem hunc vixisse non multum post " quam Christiana religio toto orbe esset recepta, cum " adhuc superessent reliquiæ gentilitatis. Posuimus hunc " authorem inter Scriptores Ecclesiasticos propter ea " quæ in hoc carmine de usu et efficacia signi crucis " scribit circa finem: *hoc signum mediis frontibus addi-*

" *tum Cunctarum pecudum certa salus fuit.* Et infra; " *Nam cur addubitem quin homini quoque signum prosit* " *idem perpete sæculo.* Faciles et æqui certe sumus, ut patiamur quemque indulgere suo genio, et adhærere partibus, quæ præ aliis possunt in hac rerum diversitate placere; etiam ligno et lapide ex arbitrio suo uti. Itaque nec mirari licet esse vanos et miseros quosdam, quibus magnum momentum in eo positum est, quod minime opinor credidisse Pithæum considerari debere, sed dignum esse quod extaret propter prædulcem totius carminis contextum et notitiam istius vetustatis. Certe quod ad verba illa, non est hic collector vel primus qui in ea aciem immittit, vel solus. Etenim Joh. Savaro in commentario ad Sidonium Apollinarem lib. XII epist. 3, ubi de hac re placuit illi notam integram colligere, citavit quoque ipsa hæc verba nominans Endelichum Rhetorem. Sed quod magis ad lumen hujus carminis et auctoris facit, in ista Bibliothecæ ejus editione tomo VI pag. 376 præmittuntur isti carmini post conceptum ita titulum *Severi Rhetoris et Poëtæ Christiani Carmen Bucolicum* hæc verba: *Is est Endelechius, cujus monitu Paulinus Nolanus Epistolâ nonâ ad Sulpicium dicit se scripsisse Panegyricum Theodosio Imperatori: hunc Poëtis Oratoribus Christianis annumeravit Possevinus: hujus quoque habetur mentio in Codice quodam Bibliothecæ Vaticanæ. Vide Sirmondum in notis ad Epistolam* 8 *libri* 4 *Sidonii Apollinaris.* His similia quum ex eruditis illis notis haberem excerpta, tamen incidens in hanc Bibliothecam, nolui aut invidere illi aut ista supprimere.

Nam quum in omnibus anterioribus tantum intelligamus iterari, quod unus dixerat statim in primo carminis hujus extortu Pet. Pithæus; non aliqua parte magis revelaretur hujus Severi conditio aut ætas aut

notitia; hinc discimus aliquid amplius, sed quod ipsum non satiat plene sitim, quantum quidem potuisset. Quæ enim illic inexspectata aut ignota mentio codicis Vaticani? Necessaria sunt, ut omnia fiant planiora, ipsa, prout Sirmondus scripsit, verba doctissimi viri, ubi recitationes Romæ fieri solitis in diversis foris memorans, post alia scribit: "De foro Martis, index "vetus adnotatio in codice Apuleiano Bibliothecæ Va- "ticanæ his verbis: *Ego Salustius legi et emendavi* "*Romæ feliciter Olybrio et Probino Coss. in foro Martis* "*controversiam declamans oratori Endelechio: Rursus* "*Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico Coss.* "Quo ex loco præterea docemur, quo tempore ca- "thedram Romæ tenuerit Endelechius Rhetor, hoc est, "ut interpretor, Severus Sanctus Endelechius, orator et "poeta Christianus, cujus extat breve carmen de mor- "tibus boum: quanquam ætatis alterum erat argumentum "ex Paulino, qui Endelechii, ut amici sui, meminit in "epist. IX ad Severum.

Quæ nullus diffiteatur esse egregia et erudite collata, si modo progredi eo usque licet, ut hæc omnia in unum eundemque Endelechium, et quidem in hunc ipsum referri debere censeamus, quum plures eo nomine esse potuerint, et utique in his appareat alterum fuisse Romæ, alterum fortasse non procul ab armenti sui pascuis. Itaque Sirmondus verecunde pronunciat sese ita interpretari; at alter iste novissimus Bibliothecæ coactor abrupte et absurde, quod ignorat, et confirmare nequit, durat adfirmare *Is est.* Nempe sic apparet diversitas geniorum in hominibus, etsi idem faciant, hoc est, scribant edantque; tamenesse quosdam χαριεστέρους, quum alii οὐδὲν ὑγιές. Ne dicam me nescire, quo instinctu ille Margarinus et perinde sequutor ejus cum Sirmondo

sustinuerint vocare eum Poëtam Christianum. Pithæus abstinuit tali donatione solum Attilium sive Cæcilium Severum ita nominans.

An illis hominibus et Weitzio plura indulgeri oporteat, aut etiam largior et plenior contigerit licentia appellationis ampliandæ, viderint. Quinimmo non sustinuit id perpetrare Jo. Savaro in commentario ad Sidonium Apollinarem bis eum citans, tum ob locum quem jam indicavi ad librum XII ep. 3, tum propter crepitacula hîc memorata ad librum II epist. 2, semel vocans *Endeleichum Rhetorem,* denuo *Endelichum Rhetorem;* nec amplius. Hinc Caspar Barthius sæpe solitus loca ejusdem sententiæ ex pluribus auctoribus congerere, ostendit sibi quoque id lectum, ut citaret de celeritate damni octo versus inde, quibus præscribit: *Non inscite describitur a Severo Rhetore,* ad Statii Thebaida IX pag. 955. At ille indice signatur Severus Endeleichus, de quo propterea nihil scivisse Barthium colligo, solitum alioqui libenter de ignotioribus verba facere.

Denique etsi nihil amplius de eo proferret, nec sciret sane, etiam Hofmannus in lexico memorare sustinuit ista: "Endeleichus, vel Severus Sanctus, Rhetor Poëta Christianus, Eclogæ de mortibus boum auctor. Edidit illam Pithœus A. C. 1590. In hac introducit Ethnicum deplorantem jumentorum mortalitatem, et Christianum, Providentia Dei proposita, eum errigentem. T. 8 Bibl. Pp. edit. 2." Prudenter uterque non plus dicit, quam sciebat.

Itaque quod ante distuli, jam proferri oportet. Nam inconsulte admodum fecit Cl. Pithœus, quum appellavit hoc carmen bucolicum, plerisque, ut patuit, sequentibus; quod propterea leviter adeo præterire nequivit Weitzius, ut huic appellationi annexuerit hanc notam:

"De Poësi seu Dramate Bucolicis vide Scalig. 3 Poët. c. 99. Jacob. Pontan. lib. 2. Poet. Instit. c. 23. Poetica Gissen. lib. 2. c. 10." Certe carmen est bucolicum, quia sunt nomina ab pastoribus aut bubulcis olim usurpata apud Poetas ejus carminis; sed hoc carmen non ascendit ad istam dulcedinem, ut sub humili rerum agrestium tractatione intelligatur abscondere aliquid mirificum, quod vel in palatiis vel in urbe inter vicinos aut amicos accidit, de quo bucolico carmine agitur in allegatis ibi locis, cujus specimina primaria apud Latinos sunt Eclogæ Virgilii, et postea T. Calphurnii Siculi, cujus similiter *Bucolicon carmen* inscribit ipsis carminibus pag. 323, sed *Bucolicæ Eclogæ* VII. in eodem illo indice agnoscit et appellat Pithœus. Mera hîc est deploratio ejus, quod in agris ex vero contigerat, non aut dolor aut voluptas ex urbanis rebus collecta, quam obscuriore et ambiguo carmine bucolico insignire constituit. Itaque notam hanc Weitzii hoc loco posui, ut eraderetur ex ordine notarum, quibus per errorem interponebatur, quum nec Endeleichus ita vocaverit, et Pithœus temere egerit.

Cæterum non hic scopus est novæ editionis, non causa. Auctor qualiscunque sit, et quocunque tempore vixerit; editores etiam pro lubitu suo in eo consuluerint. Alia spectatur et opportunior commoditas majorque; nempe ut tu, Lector, discas, quod vere in rem est, perpendere, et tum in hac ærumna, tum in aliis, non cassum aliquid tentes, sed personam tibi impositam. sapienter agas. Illic subito desolatus parte bona patrimonii, immo forsan capite ejus, potuit vel post exantlata hæc damni sui carmina vel etiam ante nactus Tityrum monitorem vitam pietate mutare, et qui antehac erro ac rei divinæ imperitus pecunias cogitaverat, illis imminu-

erat forsan nimis ex re pecuaria augendis, quæ quidem etiam abundaverant, mox tantopere debilitatus et minutus, salubriori contemplationi agglutinatur. Tu quoque utinam urbanus æque ac rurestris faxis, ut conquirantur piacula iræ justæ avertendæ; quam cœlestem esse quî dubitare potes, quum ex ipsis rebus deprehendas aerem tibi infestum esse? Hujus halitus trucidans armenta tua exclamat tibi rem esse cum eo, cujus ista potestas est. Quidquid admissum sit, tu cogita. Ego nec censor ab Roma venio nec εὐθήνης ab Athenis. Hoc mirari licet, cur quum Ægon fateatur istud fatum transsilire alios, vici nos affligere, Tityrus sic repente post celebratam ejus ab Ægone felicitatem prosiliat cum signo crucis et magna ejus potentia, nec eam rem vicinis significaverit, haud dubie etiam ultro cum illo acturis, si quod ille statuit vidissent ejus armentis parci. Imo quidni bene de Tityro cogitare licet, et in instruendo præventurum fuisse vicinos, ut boni vicini officium exigebat, si potuisset modo tam leni calamitas illa averti. Certe qui nunc tam prompte omnia aperit, non videtur antea sic morosus fuisse, ut omnia perire potius viderit, quam hoc suum gratis acceptum communicaret cum aliis.

II.—WERNSDORFII NOTITIA DE SEVERO SANCTO.

Quod in eclogis bucolicis mihi faciundum putavi, ut, quæ falso hactenus inter Calpurnium et Nemesianum divisæ essent, uni Calpurnio deberi vincerem, idem mihi fere in carmine Severi Sancti evenit, cujus auctori in primis statim editionibus ea nomina attributa sunt, quæ non unius, sed duorum diversissimorumque hominum esse, liquido potest demonstrari. Primus hoc carmen, ab Elia Vineto acceptum, edidit Petrus Pithœus, cum *Veterum aliquot Galliæ Theologorum scriptis*, Parisiis 1586, 4, hac sub inscriptione, *Severi, Rhetoris et poetæ Christiani carmen Bucolicum.* Idem paullo post prodire jussit in collectione Epigrammatum et poematiorum veterum, Parisiis 1590, iterumque Lugduni 1596, p. 573, ubi sic inscripsit: *Incipit Carmen Severi Sancti, id est, Endeleichi Rhetoris, de mortibus boum.* Utramque inscriptionem deinde repetierunt editores Bibliothecæ Magnæ Patrum, cui idem carmen insertum est. Est autem inscriptio a Pithœo præfixa, sigillatimque Endeleichi nomen additum, ut ex ipsis voculis *id est* intelligitur, non ex antiquo codice, sed ex Pithœi, aut alius qui

suppeditaverat, conjectura et opinione profectum. Veterum enim is minime mos fuit, ut diversa unius hominis nomina ita conjungerent. Itaque alii post Pithœum eruditi nomen illud Severo Sancto additum sic acceperunt, ut putarent, Severum Sanctum eundem esse, ac qui alias memoretur Endeleichus. Videamus nunc, ubi is repertus sit. Endelechii, amici sui, meminit Paulinus Nolanus, epistola IX ad Sulpicium Severum, eumque sibi auctorem fuisse scribit opusculi de Theodosio Imperatore componendi. Præterea indicium Endelechii rhetoris facit annotatio vetus in codice Apuleiano bibliothecæ Vaticanæ reperta, quam referunt Sirmondus in not. ad Sidon. Apoll. lib. IV, epist. 8, Geverard. Elmenhorstius ad Apulei. Rosweidus in not. ad Paulin. l. c. Curtius Pichena, præfat. append. not. in Tacitum. Est vero hujusmodi: *Ego Salustius legi et emendavi Romæ feliciter, Olybrio et Probino Coss. in foro Martis controversiam declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico Coss.* Enimuero nullum hic indicium Endelechii pro Severo Sancto habendi est. Neque enim uspiam Endelechio nomen Sancti apponitur, ut neque Sanctis qui dicuntur, nomen Endelechii. Flavium Sanctum, affinem suum, memorat Ausonius, Parental. XVIII, quem innuit præfectum agri Rutupini fuisse. Et ad Sanctum quendam epistolam XXVI scribit Paulinus, quem illius Sancti filium fuisse conjicio. Alium Sanctum, cum Gallicino, Burdegalæ episcopatu functum, ut familiarem suum laudat Sidonius lib. VIII, epist. 11. Atque hi omnes Aquitani fuisse et in Gallia vixisse videntur, siquidem et Reinesius epistola VIII ad Daumium p. 24, Sanctorum gentem illustrem et celebrem inter Gallicas fuisse ostendit, pluribus Gallis ejusdem

nominis e veteri memoria productis. Nullus horum cognomento Endelechius vocatur. Quam autem rationem sequi docti viri in Endelechio cum Severo Sancto commiscendo potuerint, equidem non perspicio, nisi æqualis utriusque ætas fuit. Nam Olybrius et Probinus Consules, quibus Romæ docuit Endelechius, fuerunt A. C. CCCXCV, cujus anni initio Theodosius Imp. decessit, quem laudandum ille Paulino commendabat. Et Severum Sanctum, carminis bucolici auctorem, Theodosiano ævo vixisse, cum ex argumento ejus carminis demonstrari potest, tum inde colligi, quod idem Sanctus familiaris Paulini fuisse videtur, ad quem epistola XXVI scribit. Præterea rhetoris et poetæ Christiani elogium, si in fronte carminis, quod Pithœus edebat, Severo Sancto vere appositum fuit, forte causam aliquam præbuit doctis viris, ut Endelechium rhetorem huc referrent. Verum Paulinus, qui utriusque meminit, eos clare distinguit, suo quemque nomine proprio appellans. Et reliqua eorum sunt disparia. Nam Endelechius Romæ vivebat, Severus Sanctus in Gallia. Ille rhetoricam Romæ docebat, hic an rhetor unquam fuerit, dubium est, certe fuit Burdegalensis, non Romanus, seque in Gallia scripsisse, in ipso carmine prodit, ubi luem boum scribit ante Belgas vastâsse, nunc etiam ad populares suos transiisse. Et si pluribus argumentis discrimen Sancti et Endelechii probare non datur, quod rara utriusque mentio apud veteres reperitur, satis tamen hæc valebunt ad alteram opinionem, quæ diversorum nomina uni homini tribuit, nec ullo vetustatis testimonio nititur, rejiciendam. Quo magis mirum est, levem conjecturam Pithœi, inscriptione carminis expressam, sic amplecti omnes fere eruditos potuisse, ut non solum qui obiter ejus carminis mentionem injicerent,

sed etiam qui data opera de eo agerent, auctorem Endelechium profiterentur. Ad istos referendi Sirmondus l. c. Savaro ad Sidon. Apoll. lib. II, epist. 2, et XII, 3, Rosweidus ad Paulin. l. c. ad hos Gerh. Io. Vossius in opere de poetis Lat. Thomas Reinesius l. c. Io. Weitzius et alii qui carmen illud edendum curârunt. Quamquam nec diffitendum est, anonymum auctorem editionis Lugduno-Batavæ 1715, in præfatione, et Christ. Schoettgenium, Vol. VI Bibliothecæ Lat. Fabric. p. 470, hæsitanter de auctore loqui, et dubitare, an forte plures eo nomine appellati perperam pro uno sint habiti.*

De auctore igitur carminis, Severo Sancto, quæ præterea dici possint verisimiliter, non habeo, nisi eum fuisse Sanctum opinemur, ad quem, unaque Amandum, scripta est Paulini epistola XXVI. Amandum enim quoniam ferunt posthac episcopatu Burdegalensi functum esse, hinc colligas, Sanctum cum Amando vixisse Burdegalæ, et, si vere ei rhetoris elogium tribuit inscriptio carminis, ibi Grammatici vel Rhetoris officio functum esse: quod ipsum etiam carminis de mortibus boum argumentum et œconomia prodit, quandoquidem videtur in exponenda lue jumentorum illustre narrationis vel descriptionis exemplum, Rhetorum more et exercendi ingenii gratia, componere, eoque veterum historicorum et poetarum locos imitari voluisse. Ex eadem ratione haud temere conjicias, pertinuisse hunc Sanctum ad cognatos et affines Ausonii poetæ, quorum plures vivebant in Aquitania, et fortasse filium fuisse Flavii Sancti, quem Ausonius in Parental. n. XVIII et XIX ut

* Th. Reinesius in Epist. LXV ad Daumium: *Severi Endeleichi ætatem, incertam Vossio, feci certissimam in Ep. ad Weitzium, qui eam secundæ editioni suæ accusurus fuit.*

affinem laudat, et filium habuisse memorat. Deorum cultui prius addictum, mox Christo nomen dedisse, innuit Paulinus, epist. cit. Occasionem scribendi carminis habuit a pestifera lue, quæ boves per Pannoniam primum et Illyricum, deinde Belgas, straverat, tum etiam penetraverat in Galliam. V. vers. 22. Luem hanc A. C. 409 Alarico Italiam ingresso, perruptis ejus e Pannonia et Illyrico claustris, infudisse se, et longe lateque agros, armenta, viros vastâsse, Ruffinus ad Chromatium refert, apud Sigonium libr. X de Occid. imp. Sed annum ejus calamitatis vix definire licet, neque etiam necesse est. Diu enim multumque, per variasque terras, inter bella et eluviones gentium continuas grassata hæc lues videtur, quod imprimis testatur Ambrosius, ejusdem temporis scriptor, Commentar. in Lucam lib. X, cap. 21, Tomo IV Op. p. 739: *Quanta*, inquit, *prœlia et quas opiniones accepimus prœliorum! Quæ omnium fames, lues pariter boum atque hominum, cæterique pecoris, ut etiam nos, qui bellum non pertulimus, debellatis tamen pares fecerit pestilentia.* Copiose etiam de horum temporum calamitatibus agit Salvianus Massil. lib. V de gubern. Dei. In ipso carmine Severus Christum bis memorat ut Deum, eumque nunc solum magnis in urbibus coli perhibet, v. 106. Vim signi crucis summopere prædicat, et fide accedente pestilentiam eo sedatam esse asserit, contra nihil paganorum sacrificia et cæsas victimas profuisse. Quæ sane demonstrant, scriptum esse carmen eo tempore, quo Christiana quidem religio, multa jam superstitione contaminata, invaluisset, superessent tamen et passim celebrarentur sacrificia et ritus gentilium, h. e. scriptum esse ævo Theodosii, aut ei proximo. Sub Theodosio enim constat paganismum ita sublatum, ut clausis aut destructis

deorum templis in urbibus non alia, quam Christi religio coleretur, gentilium vero cultus exterminatus in agris pagisque subsisteret. Scopus Severi in hoc carmine elaborando fuisse videtur, ut in publica calamitate mortiferæ luis hominibus suis auxilium Christi petendum suadeat, eoque cultum religionemque ejus commendet. Quum hæc calamitas rem rusticam attingat, putavit sibi id argumentum carmine rustico, vel ad formam veteris bucolici composito exsequendum. Similiter alium fecisse poetam Christianum, ut carmine bucolico, et Tityri nomine usurpato, Christum celebraret, discimus ab Isidoro Hispal. Orig. lib. I. cap. 38, ubi de centonibus Virgilianis, sigillatim Probæ Adelphii uxoris, loquens, hæc addit: *Sic quoque et quidam Pomponius ex eo demum poemate inter cætera stili sui otia Tityrum in Christi honorem composuit.* Ausonius inter cognatos suos Pomponium Maximum, sororis filium, ab ingenio et facundia laudat, Parental. XVII, et, nisi Pomponius ab Isidoro nominatus hic ipse est, certe ex ætate et cognatione Ausonii, adeoque et Severi Sancti, fuisse videtur, qui utriusque exemplo et Christum carmine bucolico celebrare, et centonibus Virgilianis uti voluerit.

Quod a Pithœo aliisque editoribus carmen Severi bucolicum, item Ecloga bucolica, appelletur, id graviter indignatur, qui editionem Leidensem curavit, in præfatione, existimans, neque auctorem Severum ita appellavisse, neque carmen ipsum dignum esse, quod inter bucolica veri nominis numeretur, quum neutiquam ad istam dulcedinem ascendat, quam ratio ejus carminis poscat, ut sub humili rerum agrestium tractatione intelligatur abscondere aliquid mirificum, quod vel in palatiis vel in urbe inter vicinos aut amicos acciderit; sed potius nude enarret atque deploret ea, quæ in agris ex vero

contigerant, et præter nomina ab pastoribus aut bubulcis olim usurpata apud poetas, nihil habeat fere, quod ad formam carminis bucolici pertineat. Ego quidem hæc vere dici fateor, imo auctorem hoc magis credo in leges carminis bucolici impegisse, quod, cum alias vitæ pastoritiæ, qualis priscorum hominum fuit, securitas, amœnitas, gaudia et deliciæ eo carmine adumbrari soleant, contra in hoc summa ejusdem miseria et calamitas describatur; idem tamen contendo, non magni adeo momenti hanc controversiam esse, potuisseque a doctis viris carmen bucolicum appellari, laxamento ei voci dato, quod qualicunque modo ei simile esset. Deinde vix dubito, tametsi auctor carmen suum ipse non inscripserit bucolicum, quod certo affirmari nequit, scripsisse id tamen ea mente, ut bucolicum videretur. Nam ea ætate, qua scribebat Severus, recto de litteris judicio deperdito, certum est, cum aliorum poematum, tum bucolici præsertim, naturam fere ignoratam et neglectam esse, ita ut ejus generis haberetur, quodcunque agrestium vel pastorum de rebus agrestibus confabulationem teneret. Eum errorem jam in Calpurnio, quamvis haud spernendo poeta, præsertim in ejus ecloga V, observare licet, in recentioribus autem poetastris, ut in Bedæ ecloga, et in Metelli Tegersensis, sæculo XII scribentis, Quirinalibus, a Canisio editis, multo magis. Reinesius titulum *carmen bucolicum* probare magis videtur, quam alterum *de mortibus boum*, quum hoc glossema esse insulsi Grammaticastri putet. Ego tamen hunc tenere tutius arbitror, de quo certius constat, e veteri scripto expressum esse. Quod præterea Severus deserto metro, carminis bucolici proprio, choriambicum usurpavit, id rhetorum more fecisse exercitationis causa videtur, ut periculum faceret ejus metri

componendi, fortasse etiam cum Virgilio Horatium imitari voluit, qui alternos sermones lyricis etiam versibus expressit, lib. III, od. 9. De cætero carmen Severi sua laude non fraudandum est. Narratio ipsa dulcis est, perspicua et elegans, et plurimis adspersa floribus poeticis, quanquam et aliqui ex ævo scriptoris nævi adhærent, et novi verborum significatus constructionesque insolentiores reperiuntur. Quæ de religione et sacris perverse inepteque sentit auctor, errori ejus sæculi debentur, et æmulum Paulini auctorem demonstrant, qui pariter in carminibus suis de efficacia signi crucis, de miraculis sanationum et servatis etiam jumentis delirat.*

Superest, ut varias editiones, quibus carmen Severi Sancti evulgatum est, paucis recenseam. Post primas illas Pithœi, supra memoratas, insertum est hoc carmen Bibliothecis Patrum Parisiensibus, et quidem editionis secundæ, anni 1589, Tomo VIII, p. 275: tertiæ editionis, an. 1624, Tomo III, p. 579: quartæ, anni 1654, Tomo VIII: Coloniensis, an. 1618, Tomo V: denique Lugdunensi maximæ per Anissonios elaboratæ et auctæ, an. 1677, Tomo VI, p. 376. Io. Weitzius hoc carmen cum suis notis et Wolfgangi Seberi racemationibus separatim edidit, Francof. 1612, 8. Hanc editionem repetiit, et splendidioribus typis, addita copiosa præfatione, in qua de auctore et inscriptione carminis disputatur, recudendum curavit vir eruditus in Batavis, qui nomen suum

* In Historia Litteraria Galliæ, scripta per religiosos Benedict.e congregat. S. Mauri, Tomo II, p. 56. ea Ecloga de mortibus boum attribuitur Sancto, poëtæ Christiano, et hic diversus ab Endelechio esse censetur. Præterea huic Sancto, poetæ Christiano, ibi tribuitur poema de parabola Decem Virginum in Evangelio, idque fuisse inter hymnos existimatur, quos Sanctus ille Paulino, qui desideraverat, mittit, Ep. XXVI, sive XLI alterius editionis. Sed eo loco hymnorum quidem missorum mentio fit, et disputatio de parabola decem virginum inde petitur: utrum vero totum poëma illius argumenti fuerit, non satis clare apparet.

non edidit, Lugduni Batav. 1715, 8, e typographia Petri van der Aa, cui nomini deinceps illita fuit alia schedula, in qua impressum est: Apud Samuelem Luchtmanns, 1717. Recensetur in actis Erud. A. 1716, pag. 80 seq. Jac. Gronovius auctor præfationis videtur Ven. Ernesto, Bibl. lat. Fabric. Tomo III, p. 258. Haud multo post G. Outhosius, Embdæ ad Amisiam ecclesiastes, edito libello, cui titulus: *Judicia Jehovæ Zebaoth, seu bellum divinum, quo petit Deus peccatores*, adjunxit carmen Severi Sancti, id est Endeleichi, de mortibus boum, eique præter selectas Weitzii et Seberi annotationes nonnulla a semet ipso observata adjecit, Groningæ, 1721, 8. Recensetur hic liber in actis Erud. Supplem. Tom. VIII, pag. 214. Breves castigationes ei recensioni pag. 218 subjecit C. A. Heumannus, quas excerptas meis annotationibus addere placuit. Recentissime edidit, et novam præfationem de auctore, editionibus et argumento hujus carminis præmisit M. David Richter, Hamburgi 1747, 4. Denique hoc carmen Editor Collectionis omnium Poematum Latinorum Pisaurensis proposuit Tomo V, qui anno 1766 prodiit.

III.—DEDICATIO WEITZII.

AMPLISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO,

Dn. Jacobo Bongarsio,

CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS CONSILIARIO,

ATQUE

AULÆ-MAGISTRO; FAUTORI HONORATISSIMO;

M. JOHANNES WEITZIUS.

VENIT ad Te, BONGARSI nobilissime, SEVERI Bucolicum; cui horas aliquot, tuo potissimum instinctu et κελεύσει, impendere, Notarumque, pro re nata, nitorem cœpi affundere, cum SEBERO, τῷ ταῖς ἐννέα δὴ περιλαμένῳ ἔξοχα μοίσαις. Tua quippe, quâ es in omnes litteratos, et in me singulariter, benignitate, hos primitùs meis versiculos, quibus οὔτ' ἔαρ, Theocriti verbis, γλυκερώτερον, oculis usurpavi. Et an scopum, quamobrem ad me miseras, tetigerim; tui censio esto judicii. Tibi enim si ista probâro; videbor mihi

——— *Mediis discumbere in astris,*
Cum Jove, et Iliacâ porrectum sumere dextrâ
Immortale merum.

Et pro liberalitate tua invidendaque humanitate ac meritis, quibus orbem demereris Europæ litteratiorem, meritissime μουσάων ὑποφῆται tibi ubertim redhostiunt —— *famam laudesque benignas.* Nec enim quidquam ducis pulchrius, quàm quibus genere antistas, ante eos virtute, gloria, promeritisque esse. Perge alacer, vir magne,— *majoraque disce mereri!* atque τούτῳ ἐν σπαράγματι studium tibi placere meum etiam atque etiam patere. DEUS TE, Amplissime Domine, diutissimè Reipub. fulcrum velit esse, mihique Fautorem conservet atque tueatur. GOTHÆ ∞. IↃCXI. die Ægidii, quô, quod felix et faustum jubet esse JEHOVA, XXXV. meum natalem aspicio.

IV.

Severi Sancti,

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI,

Carmen Bucolicum de Mortibus Boum.

ARGUMENTUM

CARMINIS

DE MORTIBUS BOUM

Wernsdorfianum.

GRASSANTE *per orbem Romanum mortifera pecorum lue, Severus Sanctus ejus describendæ occasionem arripuit eo fine, ut auxilium in calamitate publica a Christo petendum suaderet, eoque religionem Christianum reliquis Deorum cultoribus, passim per pagos et agros degentibus, commendaret. Inducit igitur duo pastores Ægona et Buculum cum tertio adveniente Tityro colloquentes, quorum nomina ideo elegisse videtur, ut altero caprarium, altero bubulcum significaret. Ex his Buculum commemorare facit stragem boum suarum, qui subtristior visus Ægoni, et causam ægritudinis animi rogatus, ordine enarrat subitas mortes et clades, quæ sibi ex vehementissima lue, tum in tauris singulis, plaustrum vel aratrum trahentibus, tum in universo armento acciderint.*

Ægone calamitatem Buculi dolente, et mirante simul, hoc fatum vicinos alios invadere, translire alios, supervenit Tityrus, homo Christianus, hujus cladis immunis, qui interrogatus, quo pacto tantam pestem effugerit, commendat eis, quasi certum remedium, crucis signum, et cultum Christi. Nec mora, Buculus cum spe avertendæ ab armento suo luis, amorem Christianæ religionis concipit, et invitatus a Tityro in urbem properat ad Christum adorandum, comite Ægone. Obiter observo, Tityri nomen et personam ei homini tribui, qui meliore cæteris fortuna utitur, quod exemplo Virgilii etiam Calpurnium ecloga VIII fecisse, alibi notavimus. Alium quoque fuisse poetam Christianum, qui sub eodem Tityri nomine in carmine bucolico induceret cultorem Christi, dudum monuimus in proœmio.

CARMEN BUCOLICUM

DE MORTIBUS BOUM.

ÆGON, BUCULUS, TITYRUS.

ÆG. QUIDNAM solivagus, Bucule, tristia,
Demissis graviter luminibus, gemis?
Cur manant lacrimis largifluis genæ?
Fac, ut nôrit amans tui.

BUC. Ægon, quæso, sinas alta silentia
Ægris me penitus condere sensibus:
Nam vulnus reserat, qui mala publicat;
Claudit, qui tacitum premit.

ÆG. Contra est, quam loqueris; recta nec autumas.
Nam divisa minus sarcina fit gravis;
Et quidquid tegitur, sævius incoquit.
Prodest sermo doloribus.

BUC. Scis, Ægon, gregibus quam fuerim potens;
Ut totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concava vallium,
Campos, et juga montium.

Nunc lapsa penitus spes opis est meæ,
Et, longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo.
Cursus tam citus est malis.

Æg. Hæc jam dira lues serpere dicitur.
Pridem Pannonicos, Illyricos quoque
Et Belgas graviter stravit, et impio
Cursu nos quoque nunc petit.

Sed tu, qui solitus nôsse salubribus
Succis perniciem pellere noxiam,
Cur non anticipans, quæ metuenda sunt,
Admôsti medicas manus?

Buc. Tanti nulla metus pervia signa sunt,
Sed quod corripit, id morbus et opprimit;
Nec languere sinit, nec patitur moras:
Sic mors ante luem venit.

Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum, studio quo potui, boum;
Queis mentis geminæ consona tinnulo
Concentu crepitacula;

Ætas consimilis, sætaque concolor,
Mansuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum, medio nam ruit aggere
Par victum parili necc.

Mollito penitus farra dabam solo:
Largis putris erat gleba liquoribus:
Sulcos perfacilis stiva tetenderat;
Nusquam vomer inhæserat.

Lævus bos subito labitur impetu,
Æstas quem domitum viderat altera.
Tristem continuo disjugo conjugem,
Nil jam plus metuens mali.

Dicto sed citius consequitur necem,
Semper qui fuerat sanus et integer;
Tunc longis quatiens ilia pulsibus,
Victum deposuit caput.

Æg. Angor, discrucior, mœreo, lugeo.
Damnis quippe tuis, non secus ac meis,
Pectus conficitur. Sed tamen arbitror
Salvos esse greges tibi.

Buc. Illuc tendo miser, quo gravor acrius.
Nam solamen erat vel minimum mali,
Si fetura daret posterior mihi,
Quod præsens rapuit lues.

Sed quis vera putet, progeniem quoque
Extinctam pariter? vidi ego cernuam
Junicem gravidam, vidi animas duas
Uno in corpore perditas.

Hic fontis renuens, graminis immemor,
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit; sed graviter ruit
Leti compede claudicans.

At parte ex alia, qui vitulus modo
Lascivas saliens texuerat vias,
Ut matrem subiit, mox sibi morbido
Pestem traxit ab ubere.

Mater tristifico vulnere saucia,
Ut vidit vituli condita lumina;
Mugitus iterans, ac misere gemens,
Lapsa est, et voluit mori.

Tunc tanquam metuens, ne sitis aridas
Fauces opprimeret, sic quoque dum jacet,
Admovit moriens ubera mortuo:
Post mortem pietas viget!

Hinc taurus, solidi vir gregis et pater,
Cervicis validæ, frontis et arduæ,
Lætus dum sibimet plus nimio placet,
Prato concidit herbido.

Quam multis foliis silva cadentibus
Nudatur, gelidis tacta Aquilonibus:
Quam densis fluitant velleribus nives;
Tam crebræ pecudum neces.

Nunc totum tegitur funeribus solum:
Inflantur tumidis corpora ventribus:
Albent lividulis lumina nubibus:
Tenso crura rigent pede.

Jam circumvolitant agmina tristium
Dirarumque avium: jamque canum greges
Insistunt laceris visceribus frui;
Heu! cur non etiam meis?

Æg. Quidnam, quæso, quid est, quod vario modo
Fatum triste necis transilit alteros,
Affligitque alios? En tibi Tityrus
Salvo lætus agit grege!

Buc. Ipsum contueor. Dic age, Tityre,
Quis te surripuit cladibus his Deus?
Ut pestis pecudum, quæ populata sit
Vicinos, tibi nulla sit.

Tit. Signum, quod perhibent esse Crucis Dei,
Magnis qui colitur solus in urbibus,
Christus, perpetui gloria Numinis,
Cujus filius unicus.

Hoc signum, mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Salvator vocitatus est.

Fugit continuo sæva lues greges:
Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis, credere sufficit:
Votum sola fides juvat.

Non ullis madida est ara cruoribus;
Nec morbus pecudum cæde repellitur:
Sed simplex animi purificatio
Optatis fruitur bonis.

Buc. Hæc si certa probas, Tityre, nil moror,
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens;
Nam fallax et inanis est.

Tit. Atqui jam properat mens mea visere
Summi templa Dei: quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam,
Christi et numen agnoscimus?

Æg. Et me consiliis jungite prosperis:
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum prosit idem perpete sæculo,
Quo vis morbida vincitur?

V.

NOTÆ

WEITZII, SEBERI, ET WERNSDORFII,

AD

Carmen

DE

MORTIBUS BOUM.

NOTÆ.

NOTÆ AD TITULUM.

SEVERI.] Attilii sive Cæcilii Severi, poëtæ Christiani, sub Valentiniano Augusto meminit ex Sophronio Gyraldus, (de poët. hist. dial. 5. fol. 212.) Hic vero noster, ut videtur, antiquior, et nisi valde fallimur, Aquitanus: cujus carmen Eliæ Vineti Santonis, optimi et doctissimi senis, beneficio debemus. Pithœus. Quod annotatur in editione Ant. Candidi, anno 1596.—W. *De mortibus boum.*] Cum his operæ conferre precium est Ovidium Metam. VII. v. 523. Virgil. 3. Georg. v. 478. Lucret. lib. 6. Weitz. Sed alia est eorum causa. *Mortibus.*] Ita multitudinis numero cum Græcis tum Latinis usurpatur. Homer. Odyss. 12. v. 341. πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι. Achilles Tatius de Clitoph. et Leucip. amor. lib. 4. τοσαῦται τῶν θανάτων εἰσὶν ὁδοί. Plato in 9. de legib. πολλῶν θανάτων τυγχάνειν. Rursus: ἀναιροῦσι θανάτοις. et Alcibiade 1. τοὺς θανάτους καὶ μάχας πεποιηκέναι. Cicero 2. de Finib. *Præclaræ mortes sunt imperatoriæ.* Seneca lib. 1 de Clement. c. 18. *O hominem mille mortibus dignum!* Et quæst. nat. cap. 1. *Ut existimes Deos mortium signa præmittere.* Tacit. 3. hist. *Omni imagine mortium.* Virg. 10. Æneid. v. 854.

Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.

Lucan. lib. 7. vers. 618.

Impendisse pudet lacrimas in funere mundi,
Mortibus innumeris.

Justinianus Novell. 85. *Volentes hujusmodi mortibus homines liberare.* Et l. 17. ff. de sponsalibus: *Mortes parentium.* Lat. Pac. Drepan. Panegyr. *De virorum mortibus loquor?* Et mox: *Qui obtulerant mortibus pectora.* Saresber. lib. 6. c. 3. *Et quisque mortes mille circa tempora sua errâsse gloriatur.* Petron. Satir. *Inguina mille jam mortibus frigida.* Martial. 1. epig. C. *mortes quatuor.* Et lib. 3. ep. 93. *Gaudes ducentas nuptum*

ire post mortes. lib. 6. ep. 33. *mortes servorum.* Rursus lib. 3. ep. 64. *blandas mortes.* Et lib. 9. ep. 104. *Fecundam vetuit reparari mortibus hydram.* Gunther. lib. 10. v. 341. *mortes funduntur ab æthere toto.* Prudent. 2. in Symmach. *Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.* Sed manu serendum, non sacco, monebat Pindarum Corinna.—W. ÆGON.] *αἰπόλος, αἰγελάτης, αἰγοπόλος,* caprarius, Ziegenhirt. Siber. in Gemma p. 441. P. Nann. ad Eclog. 3. Virg. BUCULUS.] *βουκόλος, ἀγελάρχης,* armentarius, pastor armenti, Rühirt. Siber. ibid. et Gloss. TITYRUS.] Servio est *aries ductarius.* Priscis Æolensibus significat capram. Scalig. 1. poët. c. 12. videatur Becman. in Originib. pag. 500. Turneb. lib. 16. c. 15.—W.

NOTÆ AD CARMEN.

VERS. 1.—*Quidnam.*] Gloss. *τί ἄν.* Theocrit. Idyll. 10. vers. 1.

ἔργα τίνα βουκαῖε, τί νῦν ὀϊζυρὲ πεπόνθεις;—W.

Solivagus.] Gloss. et Onomast. *μονήρης* et *φιλέρημος.* Bene D. Bernhar. de vita solitar. ad frat. de monte Dei: *Solitudo nomen est miseriæ.* Quod forsan ex illo Eccle. 4. v. 10. *Væ soli.*—W. *Tristia gemis.*] Ita, *multa gemens.* Virg. 5. Æn. *βαρέα στενάζων,* Oppian. 2. Cyneget. Vide Vechner. Hellenolex. 1. c. 4.—W. *Solivagus,* solus oberrans et hominum consuetudinem vitans. Gloss. et Onomast. *μονήρης* et *φιλέρημος.* Mœsti solitudinem amant. Vid. notata ad Calpurn. E. IX, 29, et XI. 12. Cicero de Offic. I, 44, *solivagam* cognitionen dicit, quæ societatem hominum tuendam non spectat, nec usibus publicis accommodata est.—WERNS.

VERS. 2.—*Demissis graviter luminibus.*] *Nulla pars est in homine,* inquit in Satirico Euphormio Lusininus pag. 36, *quæ magis cum arcanis affectibus consentiat, quam oculi. Amplam et quodammodo vegetam aciem non nisi magni et vividi spiritus alunt. Blandior ac velut illecebrosa; faciles, nec omnium hostes voluptatum, notat. Sic angustus oculus, et in imum carcerem defugiens, animum nunquam assurgentem sublimibus consiliis et cogitationum magnitudine, prodit. At vero cum aliqua perturbatio attonitos capitis spiritus confudit, ut jam omnium membrorum nexus et vincula ægre sustineant; tum nervi præcipue, qui ex altissimo capite transversim in oculos descendunt, viciniore malo laborant, et crebrius micantibus oculis occultum animi morbum livido ac truci aspectu pingunt.* Et vere Achilles Tatius lib. 6, de Clitoph. et Leucip. amor. *ὁ γὰρ νοῦς*

οὔ μοι δοκεῖ λελέχθαι καλῶς ἀόρατος εἶναι τὸ παράπαν. Φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς ὡς ἐν κατόπτρῳ τῷ προσώπῳ ἡσθείς τε γὰρ, ἐξέλαμψεν τοῖς ὀφθαλμοῖς εἰκόνα χαρᾶς· καὶ ἀνιασθεὶς, συνέστειλεν τὸ πρόσωπον εἰς τὴν ὄψιν τῆς συμφορᾶς. Huc etiam spectant illa Nazarii Panegyr. Constant. Aug. *Confessus est se inconsultior dolor, nec timuit deprehendi, et male clausi signa mœroris per vultûs indices exierunt.* Oculos autem demittere in tristitiâ et mœrore, pæne naturale. Eurip. Medea: οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ', οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον. Exempla utrobique obvia. Weitz. Seneca Herc. Œt. 247.

——— *in vultus dolor*
Processit omnis: pectori pene intimo
Nihil est relictum.

Schol. Euripid. ad v. 253. Orest. ubi Electra: οἴμοι, κασίγνητ', ὄμμα σὸν ταράσσεται. φυσικῶς· καθόλου γὰρ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν εἰκόνες οἱ ὀφθαλμοὶ. Exemplo sit inprimis Lucæ 18. 13. publicanus.

οὐδ' ἂν τοῦ μεγάλοιο θεοῦ θρόνον οὐρανὸν εὐρὺν
εἰσορόων, λεύσσων τὲ κατ' οὖδεος ὄμμασι δούλοις.

Nazianz. carm. de rebus suis v. 492.—S.

VERS. 3.—*Cur manant*] Coint. Smyrn. lib. 3. v. 575.

——— δάκρυ κατείβετο ἄχρις ἐπ' οὔδας
ἐκ βλεφάρων, ὡσεί τε μέλαν κατὰ πίδακος ὕδωρ
πετραίης, etc.

Vide Achill. Tatium lib. 3. pag. 72.—W. *Cur manant lacrimis genæ*] Horat. 4. Carm. 1.—

Cur
Manat rara meas lacrima per genas?

Boëth. lib. 1. prosa 4. *Quid lacrimis manas?*—Seneca Octav. v. 681. ——— *Cur genæ fletu madent?* Petron. *Fletibus manant genæ.* Item: *Manantes lacrimas pollice extersit.* Rursus: *Gurgite sic pleno facies manavit.* Statius quoque 4. Thebaid. et 5. Silv. epiced. in filium, dixit, *Oculos manantes.* Valerius Flaccus libro 3. v. 739. *manare luctu. Largifluis*] *Largifluus*, largus, copiosus. Lucret. lib. 5. v. 598. de Sole loquens: *Largifluum fontem scatere.* Antiquus poëta apud Cicer. 2. de Orat. *Grando mixta imbri largifluo subita præcipitans cadit.*—W. *Lacrimis largifluis*] Ovid. 1. amor. 7.

——— *Lacrimæ fluxere per ora,*
Qualiter abjecta de nive manat aqua.—W.

Iliad. 1. v. 14. ——— δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος.—S. Petron.

c. 137: *Gurgite sic pleno facies manavit.* Sed Hor. Carm. IV, 1, 34: *Manat rara meas lacrima per genas.*—WERNS.

VERS. 4.—*Fac ut nôrit amans*] Apposite Achilles Tatius lib. 3. de Clitoph. et Leucip. συμπαθὴς δέ πως εἰς ἔλεον ἄνθρωπος ἀκροατὴς ἀλλοτρίων κακων. καὶ ἔλεος πολλάκις φιλίαν προξενεῖ· ἡ γὰρ ψυχὴ μαλαχθεῖσα πρὸς τὴν ὧν ἤκουσε λύπην, συντεθεῖσα κατὰ μικρὸν τῷ τοῦ πάθους ἀκροάσει τὴν οἶκτον, εἰς φιλίαν τῆς λύπης τὸν ἔλεον συλλέγει. Et rursus libro 6. ἔστι μὲν γὰρ φύσει δάκρυον ἐπαγωγὸν ἐλέους τοῖς ὁρῶσιν. Hinc Euripides non absone, Iphig. Aulid. v. 424. ἐς κοινὸν ἀλγεῖν τοῖς φίλοισι χρὴ φίλους. *Afflictio enim, vera affinitas amicitiæ est; et veri amici tempore adversitatis probantur, quia affectus tunc impelluntur ad benefaciendum amico:* ut ait P. Matthæus, historiæ Gallicæ regius et vernaculus scriptor, elegans sane et eruditus (ita indigitat Rodolph. Botoreus, ipse talis, lib. 16. pag. 546.) histor. lib. 4. narrat. 2. pag. 47. Interim *nemo hominum reperitur, qui velit adoptare dolores et querelas aliorum;* sicut est apud eundem lib. 2. narrat. 3. pag. 203. *Amans tui*] Ciceroni nimisquam familiare, unde et petantur exempla. *Alta silentia condere*] Vice versa Virg. 10. Æneid. dixit: *Alta silentia rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem.* Ita et Val. Flaccus lib. 3. v. 508. *Tandemque silentia rumpit.* Et lib. 5. v. 648. *Quin longa silentia Pallas rumperet.* Idem lib. 1. v. 508. et lib. 4. v. 42. *rumpere questus.* Virg. 2. 3. et 4. Æneid. *rumpere vocem.* Ita Græci ῥῆξαι φωνήν. Oppian. 1. Cyneget. ῥῆξαι δεσμὰ σιωπῆς. Adi P. Victor. 10. var. lect. 8. Lambin. ad Horat. Epod. p. 359. Vechner. hellenolex. 2. c. 4. Horat. 2. Satir. 6. *Scilicet egregii mortalem altique silenti.* Apuleius in Florid. *Vox in vagina silentii condita, diutino torpore hebetatur.*—W.

VERS. 5.—*Quæso, sinas alta.*] Non dissimiliter Ovidius 4. Trist. 4. v. 40.

At pine me fati non meminisse mei:
Neve retractando nondum coëuntia rumpe
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.

Prov. *Malum bene conditum ne moveas,* e vers. 423. Theog.—S. Paullo durius vel pleonastice dictum *silentia condere sensibus.* Nam alii solent *rem silentio condere, tegere.* Similiter tamen Prudentius, præfat. ad libr. in Symm. v. 55: *Subter comprimere clausa silentia.* Clauso, condito, compresso silentio contrarium est, quando silentia *rumpi* dicuntur. *Condunt oblivia mentem* habet Claudianus. Cons. Olyb. v. 166.—WERNS.

VERS. 6.—*Ægris sensibus*] Ennius: *Ægro corde, comis passis.*—W.

VERS. 7.—*Vulnus reserat, qui mala publicat*] Sedulius lib. 3. Operum Paschal. v. 416.

> —— *Magna est medicina, fateri,*
> *Quod nocet abscondi: quoniam sua vulnera nutrit,*
> *Qui tegit, et plagam trepidat nudare medenti.*

Boëth. lib. I. Prosa 4. *Si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas.*—W. *Reserat*] Tralatio venustissima: quæ passim bonis auctoribus familiaris. *Reserare secreta.* Val. Flacc. lib. 7. v. 438. et lib. 1. v. 655. *reserata dies:* sicut Boëth. libro I. met. 3. et *clausum reseret diem.* Martian. Capella lib. I. de Phœbo: *Atque idem pallio rutilante, ac reserato stellantis poli limine, sol repente clarus emicuit.* Symmach. lib. 5. epist. 61. *Tibi autem non tenuis ad laudem reserabitur via.* Ibid. ep. 68. *Aditum mihi ad scribendum serò reserâstis.* Et lib. 9. ep. 32. *Ut ei apud te priman januam meus sermo reseraret.* Weitz. Detegit, revelat. ἐκκαλύπτει. Sophoc. Ajac. v. 1022. ἴδ' ἐκκαλυψον, ὡς ἴδω τὸ πᾶν κακόν.—S. *reserat,* rumpit, et renovat. In quam sententiam Ovid. Trist. IV, 4, 40: *At sine me fati non meminisse mei, Neve retractando nondum coeuntia rumpam Vulnera. Commissa reserare* occurrit in fragmento Petronii, quod propositum est Tomo III Poet. Min. p. 75, v. 6.—WERNS.

VERS. 8.—*Tacitum premit*] σιγῇ τὰς συμφορὰς κατακρύπτει. Isid. Pelus. lib. 4. ep. 110.—W. Ne dubitari quidem potest, reponendum esse *tacitus.* HEVM. At ego non arbitror. *Tacitum* intelligit vulnus, quod tacetur, non revelatur. *tacitum virus occulto sub vulnere* dixit Calp. E. V, 74. Et Claud. Idyll. VI de Ap. 9: *Indictum neque enim fas est tacitumque relinqui. Tacitus* tamen legere vult Antonius de Rooy in Spicil. Crit. p. 21, p. 155. Juvat locus Ovidii ab eo adductus, Trist. V, 1, 50: *At poteras, inquis, melius mala ferre silendo, Et tacitus casus dissimulare tuos.*—WERNS.

9. *Recta autumas*] Boëth. lib. 3. met. II. *Rogati sponte recta censetis.*—W.

10. *Divisa minus sarcina fit gravis*] Ut labor cum pluribus communicatus levior fit: sic idem dolor. Lips. 2. Const. c. 26. *Multæ manus onus levius reddunt.* Eras. adag. Weitz. Hom. Iliad. κ. 224. σὺν δὲ δύ' ἐρχομένω.—S.

VERS. 11.—*Et quicquid tegitur, sævius*] Seneca Agamem. v. 665.

Magis exuruni, quos secretæ
Lacerant curæ.

Ovid. 5. Trist. I.

Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intùs,
Cogitur et vires multiplicare suas.—Weitz.

Justin. hist. lib. 8. (mihi p. 108.) *Crescit dissimulatione ipsâ dolor: hoc altiùs demissus, quò minus profiteri licet.* Et prolixiùs doctissima Panhypersebasta magni Logothetæ filia apud Niceph. Gregor. lib. 8. histor. Roman. fol. 139. *ὥσπερ ἔλαιον, καὶ κηρὸς καί καλάμη, καὶ χόρτος πυρὸς ἐπεφύκει τροφή· οὕτω καὶ σιωπὴ περὶ τὴν ψυχὴν ἠθροισμένους εὑρίσκουσα τοὺς ἄνθρακας καθάπερ ὑλὴν αὐτοῖς καὶ τροφὴν* (*f. τρυφὴν ἑαυτῇ χορηγεῖ, μηδαμῇ διὰ γλώττης ἐξιέναι προχωροῦσα* (*l. συγχωροῦσα*) *τὸν ἐγγινόμενον ἐκεῖθεν καπνὸν τῇ ψυχῇ.* Et mox: *πέφυκέ πως τὸ τῆς λύπης δεινὸν ῥᾶστα τῇ παρατάσει τῆς σιωπῆς πολλαπλασιάζεσθαι*, etc.—S. *Incoquit.*] *Incoquere*, verbum est tinctorum, de dibaphis et saturioribus coloribus. Virgilius:

Vellera mutantur Tyrios incocta rubores.

Casaubon. ad Satir. 2. Persii pag. 224. Hic tralatè ponitur, pro macerare, angere, affligere, cruciare, dolorem animo inurere aut imprimere. Boëth. lib. 2. prosâ 4.

Sed hoc est, quod recolentem vehementius coquit.—W.

Sævius incoquit, urendo pervadit, macerat. Proprie est verbum tinctorum, qui coquendo penitus inficiunt pannos coloribus. Virg. G. III, 307: *Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.* Persius II, 74: *incoctum generoso pectus honesto.* Simplici verbo usus est Boethius lib. II, pros. 4: *Sed hoc est, quod recolentem vehementius coquit.*—WERNS.

VERS. 12.—*Prodest sermo doloribus*] *Est aliquid, fatale malum sermone levare;* inquit poëta Sulmonensis 5. Trist. I. Cui consonat Aristænetus: *ἅπας γὰρ, δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν, τὸ λυποῦν ἐκκαλῶν, ἐπικουφίζει τῇ διανοίᾳ τὸ βάρος.* Nec alterius est mentis Chrysostomus homil. 5. *περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου: Si apud homines, suos quempiam casus dixisse suasque calamitates narrâsse affert nonnihil consolationis, quasi diffiatio quædam malorum per ipsam narrationem ageretur: longè magis, cum Domino illi communi ægritudines animi tui communicâris, consolationem atque remedium capies.* Pari elegantiâ Isidorus Pelusiotes

lib. 4. epist. 110. οἱ μὲν γὰρ βοῶντες καὶ πρὸς τοὺς πέλας τὸ παθὸς ἐκφέροντες, οὐ μικρὰν λαμβάνουσι τοῦ πάθους παραμύθειαν. κουφίζεται γὰρ τρόπον τινὰ τῇ διηγήσει τὰ παθη. Pariaque his Heliodorus lib. 4. λέγε θαρσήσασα, μηδὲ χορήγει τῷ λυποῦντι μέγεθος σιωπῶσα. πάθος γὰρ ἅπαν τὸ μὲν ὀξέως γινωσκόμενον, εκβοήθητον· τὸ δὲ χρόνῳ παραπεμπόμενον, ἐγγὺς ἀνίατον. τροφὴ γὰρ νόσων ἡ σιωπή· τὸ δὲ ἐκκαλούμενον, εὐπαραμύθητον. V. N. 5. Trist. I.—W. Ovid. Trist. V, I, 59: *Est aliquid fatale malum per verba levare.*—WERNS.

VERS. 13.—*Gregibus potens.*] πολύμηλός τ' ἀφνειός τε. Hesiod.—W.

VERS. 15.—*Concava vallum*] Prudentio *montium convallia* in Romano v. 331. Apulei. lib. I. Metam. *Ardua montium, et lubrica vallium, et roscida cæspitum, et glebosa camporum,* dixit. vide Vechner. Hellenolex. I. c. 4. Seneca Oedipo v. 569. *Valles cavæ.* Homer. hym. in Apollin. v. 284. βῆσσα κοίλη. Observa autem hic complosionem et alliterationem, *va val;* ut et v. 30. *pit, id.* cujus exempla congessi I. Pont. I. v. 4.—W. Rescribi qportere *complêrint,* vel præmissum τὸ *fuerim* ostendit. HEVM.—WERNS.

VERS. 16.—*Juga montium*] Gloss. ἀκρώρεια ὄρους, *collis jugum.*—W.

VERS. 17.—*Lapsæ*] Malim *lapsa.* Sic enim sensus liquidior. Et ita legi in V. C. annotatum est in editione Ant. Candidi.—W. *Nunc lapsæ* edidit Pithœus. at idem in V. C. legi annotat *lapsa,* et sic reposuit Weitzius, quamvis metro non satis fiat. Quid si scribamus *Nunc lapsa at penitus? opis meæ* videtur positum pro *opum mearum.*—WERNS.

VERS. 18.—*Et longus peperit quæ labor.*] Horat. *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* Phocylid. οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον. Pindar. Pyth. 12. εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται. Timandrides Spartanus, cum post diutinam peregrinationem reversus domum, multis auctam partibus rem offendisset familiarem, graviter commotus, *Fieri,* inquit, *non potest, ô fili, quin et Deos et familiares et hospites plurimos injuriâ tuam per avaritiam affeceris.* Ælian. lib. 14. Intelligebat nimirum μακρῷ χρόνῳ opus esse, si quis citra vim et fraudem et sine malis artibus congerere divitias velit. Vide P. Crinit. lib. 2. de hon. discip. cap. 3. de Furio Cresinô; ex Plin. lib. 18. cap. 6.—W.

VERS. 19.—*Perdita biduo*] Euripid. Phœniss. ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος,

ἀλλ' ἐφήμερος. Quâ de causâ Plutum, si accedat, claudicare; si discedat, pernicissimis esse pedibus, fabulantur. Confer Boëth. lib. 2. pros. 2. et nota hîc rythmos:

Der Menschen leben, Muth und Glück,
Felt so vhrplötzlic hinderrcük,
Wie eine Wasserblas im Regn,
Und wie die Wetterhan sich drehn.

Rolnhag. in Batrachom. lib. 1. c. 6.—W. *Perdita biduo*] Fabulantur.

Claudus in adventu Dis, alatusque recessu
Esse solet, cæcus judicioque carens.—W.

Vers. 20.—*Cursus tam citus est malis.*] Symmach. lib. 1. epist. 48. *Sic nati sumus, ut sæpius adversa fungamur. Fugiunt voluptates, et bonæ cujusque rei tàm brevis usus, quàm levis sensus est.* Et probè Dousa ex Plauti Amphit. lib. 2. Epod. carm. 2.

Satin' parum hæc amœnitatis in se habet,
Satin' parum Lubentiæ
Agunda vita, præquàm acerba quæ cadunt.
Ita ordo siderum jubet.
Ita unicuique comparatum in hoc chaô,
Lubentiam ut ferè comes
Sequatur usque major ægrimonia.

Cursus.] Max. Tyrius dissertat. 25. τὸν δρόμον καὶ τὴν διαδοχὴν τῶν κακῶν, καὶ τὴν συνέχειαν τῶν κινδύνων, dixit. *Cursus tàm citus.*] Ingeniosè alti ingenii et profundi vir judicii Dom. Baudius lib. 2. gnom. Iamb. c. 18.

Natura lætis rebus hanc legem tulit,
Ut nil ab omni parte perfectum siet.
Illex voluptas pœnitentiam trahit
Secum, dolorque gaudii latus fodit.

Vel, ut elegantissimè ibidem loquitur sec. 3.

Vita atque sors mortalis has habet vices,
Ut ægritudo sit voluptati comes.
Metuque spes intemperatur, spe metus.
Sic nulla vitæ pars vacat molestiâ,
Rerumque in hisce sordibus puri nihil.
Haurire fas est! Neminis mortalium
Fortuna currum à carcere emissum extimô
Mætas adusque cursu inoffensô tulit.

Es pflegt in der Welt so zu gehn
Dass Unglück hinterm Gluck thut stehn,
Gwin und Verlust, Frewd und trawren,
Sind sehr nah verwandt Nachbawren,
Regiert einer umb den andern,
Wers nicht leiden kan, mag wandern.

Ita quoque—*Ævo crescit occulto nemus:*

Puncto, sequacis ignis afflatu perit.
Vigore lento nostra crescunt corpora;
Statim labascunt. Tarda virtutum agmina
Citò opprimuntur, non reviviscunt citò.

quod argutè in Iamb. Gnom. sec. 32. scriptum reliquit eruditorum princeps, litterarumque dictator ac parens Joseph. Scaliger, maximum Naturæ opus et, dum fuit, miraculum.—W. Hoc versu *mali* pro *malis* vult Ant. de Rooy, Spicil. Crit. p. 156, quia mali vocabulo morbus pestilens et contagiosus dici solet, de quo mox incipit memorare: *Hæc jam dira lues* etc. Sic Lucretius, VI, 1176: *Nec requies erat ulla mali defessa jacebant Corpora.* Claudian. in Eutr. II, 568: *Hei mihi, quas urbes—uno rapuerunt prælia cursu.*—WERNS.

VERS. 21.—*Dira lues.*] Ovid. Metam. 7. v. 523. *Dira lues populis incidit.* inf. v. 113. *sæva lues.* Prudent. Hamartig. v. 861. *Quas dira lues, errorque malignus immersit tenebris.*—W. *Serpere*] Ammian. Marcell. lib. 19. *Clades illa abusque ferventi Æthiopiæ plagâ paulatim proserpens.* Lucret. lib. 6. v. 1120.—*Atque aër inimicus serpere cœpit.* Virg. 3. Georg. v. 369. *Dira per incautum serpant contagia vulgus.* Prudent. 1. in Symmach. v. 538. *Serpente veneno.* Weitz. Simili metaph. ἕρποντα ψυδράκια dicuntur, Pollux 4. 25. extr.—S.

VERS. 22.—*Pridem*] Adeò *nulla natio sub Sole est, quæ non habeat querimonias et oppressiones:* quod ingenio discreto et altâ eruditione insignis P. Matth. dicit lib. 2. hist. pag. 197. Et Ate ista pestifera perambulat hunc orbem, nescio quomodo magis celeri pede, quàm candidæ Litæ. Lips. cent. 1. miscell. epist. 91. Inde Pindarus Nem. VII. Κοινὸν ἔρχεται κῦμ' ἀΐδαο, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα. *Nascentia terminus urget;* juxta D. Hilarium in Genesi vers. 22.—W.

VERS. 24.—Cornel. Valer. Vonck in Lect. Lat. lib. II, c. 5, legere mavult *et impio Morsu nos quoque nunc petit,* atque id quidem, quia præcessit versu 20 *Cursus tam citus est malis.*—WERNS.

VERS. 25.—*Solitus nôsse.*] Confer Vechner. hellenolex. I. pag. 132. et seq. Boëth. lib. I. metam. 2. *Rimari solitus atque latentis naturæ varias reddere causas.* In Catalect. Scalig. lib. I. pag. 184. *Fata per humanas solitus pernoscere fibras.*—W. *Salubribus succis perniciem pellere.*] Ovid. 3. Fast. vers. 827. *Phœbeâ morbos qui pellitis arte.* S. Orientius in Commonit. v. 78. *Gramina discernens tristes medicantia morbos Pellis letiferum sedulus arte malum.*—W. *solitus nôsse.* Virg. Æn. XII, 396: *Scire potestates herbarum usumque medendi.* Ovid. Fast. III, 827: *Phœbea morbos qui pellitis arte.*—WERNS.

VERS. 27.—*Cur non anticipans*] Juxta illud Theogn. 1130. Ζητῶμεν δ' ἕλκει φάρμακα φυομενῳ. Cui similia passim obvia.—S. *anticipans,* ante cogitans et præcipiens animo. Virg. A. VI, 105: *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.*—WERNS.

VERS. 28.—*Admôsti manus.*] Ovid. I. Pont. 4. *Horrent admotas vulnera cruda manus.* Boëth. lib. I. pros. 2. *Admovit pectori meo leniter manum.*—W. *Medicas manus.*] Stat. Silv. 5. Epiced. in filium:—*Medicasque manus fomentaque quæro Vulneribus, sed summa, meis.*—W.

VERS. 29.—*Tanti nulla metus pervia signa.*] Non diverso planè sensu videtur à Thucyd. dici pestilentia illa Attica quosdam corripuisse ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης, *nullâ certâ manifestaque causâ apparente, sed ex improviso;* quod Scholiastæ ib. est, ἀπροφασίστως. Cæterùm multum ad propulsandos morbos facit, observare atque expendere illorum signa: unde et Medicinæ pars aliqua σημειωτικὴ dicta: et ab Herophilo introducta σημείωσις τρίχρονος, quæ signa affectionis alicujus indicabat triplici temporum serie distincta; quemadmodum ex Hippoc. et Gal. tradunt Gorrh. in definit. et An. Foësius in Lexico Hippoc. Eò Buculus fortè hîc, quamvis de pecudibus saltem agens suis, respiciens, malum tàm esse vehemens queritur, ut simul eas et occupet et interimat; nullis apparentibus signis perviis, id est, talibus, è quibus medicinæ adhuc locum aliquem relictum cognoscere liceat: ut signa pervia sint, plana et manifesta, vel quæ intellectu penetrari possint.—S. *Pervia,* apparentia, perspectu facilia.—WERNS.

VERS. 30.—*Corripit*] πιέζει, κατέχει, κρατεῖ. Siber. in Gemma p. 362.—W. *Morbus opprimit.*] τὸ χρεών τινα ἐπιλαμβάνει, καταλαμβάνει. Siber. p. 377.—W. *corripit, id,* insuavis alliteratio. Forte, *quod corripuit morbus, id opprimit.* In eandem sententiam de luce mortifera

Lucanus VI, 99: *Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque, Sed languor cum morte venit.*—WERNS.

VERS. 31.—*Nec patitur moras.*] Senec. Herc. Fur. v. 611. *Odit verus amor, nec patitur moras.* Et Octav. v. 357. *Patiturque moram sceleris nullam.*—W.

VERS. 33.—*Fortia corpora boum.*] Ovid. I. Pont. 5. *Cernis ut in duris (et quid bove firmius?) arvis Fortia taurorum corpora frangat opus.* Bos autem sive taurus naturæ admodum robustæ ac validæ est. Johan. Thom. Freigius in quæst. Phys. lib. 34. pag. 1084. Hinc Virgil. I. Georg. *Fortes tauri.*—W. *Fortia corpora boum.*] S. Valerian. Cimelensis serm. de bono disciplinæ: *Videte, quàm fortia boum corpora plaustro subjiceant.* Ibi hunc adducit locum in Notis omni doctrina politissimus Goldastus, carum illud caput. Boëth. lib. 3. pros. 8. *Num tauros robore superare poteritis?* Confer Indicem in Hilarii Genesin, voce *Arator.*—W. *Plaustro,* h. jugo ad plaustrum, *subdi,* subjungi, sûbire boves dicuntur, frequenti formula, cujus plura exempla dedit Schefferus de re vehic. lib. I, cap. 10, p. 111. *Fortia corpora* bobus in primis solent tribui. Ovid. Pont. I, 4. 11: *Cernis ut in duris, et quid bove firmius, arvis Fortia taurorum corpora frangat opus.*—WERNS.

VERS. 35.—*Geminæ mentis.*] *Mens,* pro sono, opinor, posita. Per hunc enim fit, ut crepitacula vel nolæ atque tintinnabula vivere ac tantum non mente prædita videantur: præsertim si plura suavi harmonia sibi invicem consonent, ac certarum cantionum melodiam exprimant. Quod artificium nec nostris ampliùs hominibus planè incognitum; utut exteri antehac eo se jactârint. Vide Hieron. Mag. de tintinnabulis cap. 17. cum notis Fr. Swertii.—S. Nulli dubitamus, poetam sic scripsisse: *Queis frontes geminæ, consona tinnulo Concentu crepitacula, Aetas consimilis.* Describit enim per frontes geminas similem formam boum, similemque aspectum: eodemque modo inferius v. 82 laudat *taurum frontis arduæ.* HEVM. Ego nihil mutandum puto, aliter tamen explicanda verba, ac Severus fecit, qui *mentis* trahit ad crepitacula, et sonum intelligit, quo fiat, ut crepitacula vivere ac tantum non mente prædita videantur. *Mentis* antiqua scriptura est pro *mentes.* Quo vocabulo poetæ nonnunquam abutuntur ad indolem et naturam brutorum designandam. Virg. G. III, 267: *furor est insignis equarum, Et menten Venus ipsa dedit.* Similiter Claud. IV Cons. Hon. 233, e Platonicorum commento, præter mentem illam propriam hominis, *geminas* alias ei tribuit, quas communes cum brutis habet, iram et cupiditatem.

Severus igitur bobus hisce *mentes geminas* tribuit, h. e. parem indolem, ut cætera paria, consona crepitacula, ætatem consimilem, cet. Etiam Vonckius, l. c., legendum censet *quis mentes geminæ*.—WERNS.

VERS. 36.—*Crepitacula* pro tintinnabulis posuit, quæ aptare collo pecorum solebant pastores, non solum, quod eorum sono pecora duci credebant, sed etiam, quo facilius, quo loco oberrarent, deprehendi posset. V. Hier. Magius de tint. cap. 8. Paulinus Natali VI Fel: *Ut præsepia vidit Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus, Excussa ut cervice boum crepitare solebant.* Sidon. Apoll. lib. II, ep. 2: *Inter greges tinnibulatos per depasta buceta reboantes.* Etiam in equi jugalis collo tintinnabula visuntur in monumento Columbarii Liviæ, tab. XI.—WERNS.

VERS. 37.—*Sætaque concolor.*] Phædrus fab. 52. *Non inconveniens corpus, et par est color.*—W.

VERS. 38.—*Mansuetudo eadem.*] Oppiano 2. Cyneget. v. 88. ἤπια δὲ φρονέουσι, καὶ ἠθαλέοι μερόπεσσι. Lucret. lib. 3. v. 303. *At natura boum placido magis aëre vivit; Nec nimis irai fax umquam subdita percit Fumida, suffundens cæcæ caliginis umbras.* An mansuetos dicit, *quos juvat usus aratri? Detrectant pressi nam juga prima boves.* Ovid. I. amor. 2. Weitz. Patientia; de qua Ovid. Tr. 5. 4.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri.

Nam, quod Propert. lib. 2. eleg. 3. testatur

——— *Primò taurus detrectat aratra:*
Post venit assueto mollis ad arva jugo.

Indeque hîc vers. 46. *Æstas quem* domitum *viderat altera.*—S. Per mansuetudinem intelligit patientiam jugi et laboris. Propert. II, 3, 47: *Primo taurus detrectat aratra, Post venit assueto mollis ad arva jugo.*—WERNS.

VERS. 39.—*Medio aggere.*] Agger pro sulco: ita ut ἐπεξήγησις à seqq. sit petenda. vide inf. ad v. 47.—W. Legendum videtur, *robur idem fuit. Heu fatum!* HEVM. Aggerem hoc loco non sulcum, sed viam stratam et publicam notare, abservat Cannegieterus ad Avian. fab. 17. p. 117. et recte. Non enim aratro sed plaustro juncti erant hi boves, commorientes in via publica. conf. Grat. v. 63. Plura de hoc aggeris significatu dabit Savaro ad Apollin. I, ep. 5, et IV, ep. 2. Castalio ad Rutil. Itin. I, 39, Gronovius. Observ. in eccles. cap. 10, p. 108.—WERNS.

VERS. 40.—*Par.*] Gl. Ζεῦγος, συζυγία. Prudent. 2. περὶ στεφ. paullò aliter v. 148. *Par semper invictum mihi.*—W. *Victum nece.*] Diogenis huc illud trahendum; qui febri in itinere apprehensus, amicis aiebat: *Hæc nox aut me victorem probabit, aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit, ad inferna descendam.* Saresber. lib. 5. c. 17.—W.

VERS. 41.—*Mollito solo.*] Claudian. panegyr. Malli Theod. Cos. v. 176. *Duras sulcis mollire novales.*—W. *Farra dabant solo.*] σπόρον ὄμπνιον αὔλακι νειφων. Nonn. in Joh. c. 4. v. 187.—W. *Mollito* rescisso et subacto. Claud. Cons. Mall. 177: *duras sulcis mollire novales.* Jam de morte boum aratorum incipit.—WERNS.

VERS. 42.—*Putris glæba.*] Virg. I. Georg. *Zephiro putris se glæba resolvit.* 2. Georg. *Optima putri arva solo.* Et rursus lib. I. *Putres sulci.*—W. *Liquoribus.*] Gl. ὑγρασία, *umectatio, mador, liquor, udor, umor.* Propert. lib. 2. *Fluminaque ad caput incipient revocare liquores.* Ibid. *Ut liquor arenti fallat ab ore sitim.* Rursus: *Et teritur parvo sæpe liquore silex.* Sed et hoc tritum.—W.

VERS. 43.—*Stiva.*] Balb. Cathol. *Stiva, manica aratri; seu, cauda à posteriori.* Gl. ἐχέτλη τοῦ ἀρότρου. Pflugstertz, Siber. in Gemma p. 214. *Vomer.* Gl. ὕννις. Siber. ibid. p. 213. ὕννις, ἀροτρόπους, Pflugschaar. vide Polluc. lib. I. c. 13.—W. Vonckius, l. c., legit *Sulcos per faciles.*—WERNS.

VERS. 46.—*Æstas viderat altera.*] Val. Flacc. lib. 6. v. 115.—*Eum Scythiæ jam tertia viderat æstas.* Virgil. I. Æneid. vers. 269.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.—W.

Æstas pro anno. Val. Flac. VI, 115: *eum Scythiæ jam tertia viderat æstas.* Domare juvencos sic solebant veteres, ut jugo vinculisque e collo pares conjungerent, et sic simul incedere cogerent. Reliqua vide apud Virg. G. III, 166 seqq.—WERNS.

VERS. 47.—*Disjugo*] Διαζευγνύω. Balb. Cathol. *Disjugo*, id est, *disjungere, separare, removere à jugo*, Horat. lib. I. ep. 14. *dejunctum bovem* dicit, id est, sejunctum et separatum ab altero. Virgil. 3. Georg. v. 515.

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mistum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. it tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

Ovid. 7. Metam. v. 538.

Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere sulco.—W.

Conjugem] Consortem laborum nuncupat Statius Theb. 9.

Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter jugera sulcum
Taurus iners, colloque jugum deforme remisso
Parte trahit, partem lacrimans sustentat arator.—W.

Disjugo, disjungo, jugo exsolvo. Expressit Virgilium, qui Georg. III, 517, de eadem re: *It tristis arator Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum.* Similia Ovid. Metam. VII, 538, et Statius Theb. IX, 82 seq. qui, quem conjugem Severus, *consortem laborum* dicit: *Amisso qualis consorte laborum Deserit inceptum media inter jugera sulcum Taurus iners. Bovem disjunctum* dixit Horat. Epist. I, 14, 28.—WERNS.

VERS. 49.—*Dicto citius*] Virgil. *Et dicto citius tumida æquora placat.* Petron. *Dicto citius nervi paruerunt imperio.*—W. *Consequitur necem*] Ita apud Terent. And. 5. 3. *nancisci malum.* Et Phorm. 3. 1. *Potiri mali.* Sicut Lucret. lib. 3.

Et mala multa animus contage fungitur ejus.

Consequitur necem dixit, ut malum, morbum nactus est.—WERNS.

VERS. 50.—*Sanus*] Hæc vocula, ad oram posita, lacunam apparentem explet; sicut v. 79, *moriens.*—W. In Pithœana *sanus* non extat in contextu, sed, vacante ejus loco, appositum est in margine, sicut v. 79 *morient.* Neque vero video, quid aliud utroque loco scribere auctor potuerit.—WERNS.

VERS. 51.—*Longis quatiens ilia pulsibus*] Virg. 3. Georg. vers. 505.

Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt.

Apulei. lib. 4. *Et assiduis singultibus ilia quatiens, mihi etiam lacrimas excussit.*—W. *Pulsibus*, h. singultibus. Apuleius lib. IV, *Et assiduis singultibus ilia quatiens mihi etiam lacrimas excussit.* Lucanus IV, 756: *Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget, Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus.*—WERNS.

VERS. 52.—*Deposuit caput.*] Etiam nos Germani, Er hat das

Haupt gelegt, cum quis naturæ persolvit debitum, et ivit *Illuc, unde negant redire quemquam.* Ovid. 6. Fast. v. 754. de Hippolyto, quem Æsculapius in vitam revocat: *Depositum terrâ sustulit ille caput.*—W.

VERS. 54.—*Damnis quippe tuis non secus ac meis.*] Quia, Prudentiô canente,

——— *Lex eadem monet omnes*
Gemitum dare sorte sub una.

Cathem. 10. Et, *Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.* Quod non ignorans Callion apud Euphormionem Lusininum in Satir. pag. 42. literas ad Fibullium amicum, ex calculo ægrum, in hæc conscripsit verba: *Quòd amantium spiritus alieno ore trahantur, non alienis potiùs exemplis didici, quàm ipse exemplum esse possum. Quamdiu valebas incolumis, in te vixi: afflictâ tuâ valetudine eò etiam plus dolui, quòd tui corporis ægritudo mentem meam sauciabat, etc.* Vide eundem pag. 190.—W.

VERS. 58.—*Nam solamen erat.*] *Spes stimulat semper animos ad futura, et afflictiones præsentes reddit tolerabiliores:* ut scribit P. Matthæus lib. 1. pag. 57. Et libro 2. pag. 184. *Spe nihil est efficacius ad rumpendam impatientiam impetuosam, et sublevandam hominum lassitudinem.*—W.

VERS. 59.—*Si fetura daret.*] *Fetura* in pecore dicitur, ut in muliere puerperium. Varro: *Altera pars est, in feturâ quæ sint observanda, quod alia alio tempore parere solet.* Unde et *fetæ*, quæ pepererunt, dicuntur. Virgil.—*Lenta salix feto pecori.* Itaque errant Servius, et qui eum sequuntur, qui fetas gravidas accipiunt. Varro: *Quæ ostenderent nostras fetas, quæ in conopeis jacent dies aliquot, esse ejuncidas et contemnendas.* Est et *fetura* interdum fetus ipse; ut Virg. 7. Eclog. *Si fetura gregem suppleverit.* Turneb. tom. 1. pag. 387. Refer huc illa Salviani lib. 4. de gubernat. Dei: *Qui initia gregum præparat, ad hoc parat, ut curam multiplicandis gregibus impendat.*—W. *Fetura* in pecore dicitur, quod in muliere puerperium, tum ipse fetus animalis. Varro L. L. II, 1, 18. Hinc *fetæ* non solum gravidæ, sed et quæ pepererunt. V. Calpurn. II. 47. V. 36 et 38. Statius Theb. X, 229: *Cui fetura gregem pecoroso vere novavit.* Varro etiam feturam humanam appellat, lib. II, 10, 6.—WERNS.

VERS. 61.—*Quis vera putet?*] Ovid. Pont. 4. 10. *Quàm miser est, qui fert asperiora fide!*—S. *Progeniem.*] καλεῖται γὰρ τῶν μὲν βοῶν τὰ νέα, μόσχοι Pollux lib. 1. cap. 12. sect. 19. Ita Horatio 3. carm. 13. *Lascivi suboles gregis,* hedus est.—W.

VERS. 62.—*Cernuam* h. demisso capite procidentem in terram, ut supra v. 52, *victum deposuit caput.* Sic. Virg. G. III, 524: *Ad terramque fluit devexo pondere cervix. Junices,* inquit Schol. Persii ad Sat. II, 47, *dicuntur teneræ ætatis boves, quæ jam cesserunt vitulis, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenerunt.* Gloss. *Junix, δάμαλις.* Becmanno in Orig. p. 643, quasi juvenix, vacca juvenis.—WERNS.

VERS. 63.—*Junicem*] Gl. *junix δάμαλις.* quod in alt. *bucula, juvenca, vacca.* Onomast. *Junices, δαμάλαι* Zehner. in Nomencl. lib. 4. cap. 75. reddit, Eine Kalbe oder Kalbin. Siber. in Gemmâ pag. 102. *Junix, bucula, δάμαλις, βοῦς ἄβατος, νεαλὴς, ἀτάυρωτος.* Junge Rue, Kalbe, Ferse. Persius Sat. 2. *Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liquescant.* id est, cùm tot majores victimas cædas; ut sunt boves, tauri, juvenci, et junices sive *δαμάλεις.* Casaubon. Balb. Cathol. *Junix, a juvando dicitur, et est idem, quod juvencula,* id est, *parva bos,* secundum Hugon. Papias verò dicit: *Junices, boves juvenes,* Scholiast. Theocrit. ad Idyll. id est, *βόες, αἱ τέλειαι. δαμάλεις καὶ πορτιες, αἱ μήπω ὑπὸ ζυγὸν ἐλθοῦσαι, μηδὲ ὀχηθεῖσαι. αἱ πόρτιες δὲ καὶ ἔτι ἀτελέστεραι τῶν δαμάλεων. ἐπὶ δὲ τῶν ἀρρένων, μόσχοι τὰ νεογνὰ, καὶ τὰ ὑπὸ ταῖς μητράσιν ἔτι. ταῦροι δὲ, οἱ τέλειοι.* Weitz. L. Annæus Cornutus ad Pers. Sat. 2. *Junices,* inquit, *dicuntur teneræ ætatis boves, quæ jam cesserunt vitulis, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenerunt.*—S. *Animas*] *Animæ,* pro vita brutorum, quæ simul cum ipsis evanescit et in nihilum redit. Aliàs neminem latet, *ψυχῆς* vocabulum in profanis sacrisque libris pro vita usurpari, aut etiam pro totô homine, Vide P. Fabrum 3. Semest. c. 4. pag. 63. ad Marg.—W. *Animas duas uno in corpore.*] Eadem phrasi Ovid. 4, Fast. 666. *Detque sacris animas una juvenca duas.*—W. *Animæ* pro vita brutorum. Eadem phrasi utitur Ovid. Fast. IV, 666, de sacrificio gravidæ bovis: *Det sacris animas una necata duas.*—WERNS.

VERS. 65.—Imitatur hic Virgilium Georg. III, 498: *Labitur infelix studiorum atque immemor herbæ Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram Crebra ferit.*—WERNS.

VERS. 66.—*Succiduo poplite.*] Ovid. 10. Metam. v. 447. *At illi poplite succiduo genua intremuere.*—W. *Succiduo,* labante, vacillante. Ovid. Met. X, 458: *Poplite succiduo genua intremuere.* Claud. Rapt. Pros. III, 153: *Succidui titubant gressus.*—WERNS.

VERS. 68.—*Leti compede.*] Nonnus in Johan. c. 4. v. 233. *νωθρὰ*

φέρων πεπεδημένα γούνατα νούσῳ. Et cap. 5. v. 28. Rursus cap. II. v. 24. νουσαλέῳ πεπεδημένος ἄψεα δεσμῷ. Horat. 3. carm. 24. *Mortis laqueis expedire caput.*—W. *Leti compede,* ut Horat. Carm. III, 24, 8: *Non mortis laqueis expedies caput. Mortis catenam* dicit Prudentius, Hymn. XI, 47.—WERNS.

VERS. 69.—*Parte ex aliâ.*] Petron. *Ex alterâ parte juvenis nudus* etc.—W.

VERS. 70.—*texuerat vias.* lascivienti saltu et errore luserat in campo Ovid. Met. VII, 320: *Exsilit agnus, Lascivitque fuga, luctantiaque ubera quærit.* Simili phrasi pyrricham, ludum armatum, exprimit Claud. VI Cons. Hon. 622: *certaque vagandi Textas lege fugas, inconfusosque recursus.* Eandem phrasin de labyrintho usurpat Virgil. Æn. V, 588: *Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque Mille viis habuisse dolum.* Inde sumsit Pacatus in Paneg. Theod. 38, *incertum iter ancipite ambage texebat.*—WERNS.

VERS. 71.—*Sibi.*] Ita ad oram libri scripserat P. Daniel. aliàs hîc legitur, *ibi.*—W. *mox ibi* edidit Pithœus. Sed vix dubito legendum *sibi,* ut ad oram libri scripserat P. Daniel, et edidit Weitzius.—WERNS.

VERS. 72.—*Pestem traxit ab ubere.*] Nam *ad exordium sui cuncta respiciunt;* ut ait Salvianus lib. 6. de gubernat. Confer Agell. lib. 12. cap. I. *Et quod ex sordibus est, quid erit nisi sordidum? Non enim potest arbor mala fructus bonos facere, cum in eo vis naturæ consistat, ut similia ex similibus procreentur.* Saresber. lib. 5. cap. II.—W.

VERS. 73.—*Vulnere saucia.*] Nazar. panegyr. *Roma tot vulneribus saucia.* Symmach. lib. 6. epist. 34. *Mœstitudo me quoque graviter sauciavit.* Et lib. 2. epist. 32. *Cum dolore saucius æstuarem.* Euphormio Lusininus Satir. pag. 41. *Non modò corporis morbis imperat, sed et sauciæ mentis vulnus etiam sine cicatrice obducit.*—W.

VERS. 74.—*Condita lumina.*] Tangit ritum, Græcis pariter et Romanis usitatissimum, martuorum oculos sugillandi, teste Plutarcho. Propert. *Condita sunt vestrâ lumina nostra manu.* Meurs. ad Lycoph. p. 193. Kirchman. de funerib. Rom. lib. I. cap. 6. Livia apud Albinovanum: *Tu mea condas lumina.* Hinc sepulchrum appellatur *Conditivum* vel *Conditorium.* Seneca, epist. 60. *Qui verò latitant et torpent, si in domo sunt, tanquam in conditivô.* Petron. in Satir. *In conditorium*

etiam prosecuta est defunctum. Virg. Æneid. —— *Animamque sepulcro Condimus.* Plin. lib. 7. c. 16. *Corpora ejus miraculi gratiâ in conditorio Sallustianorum adservabantur hortorum.*—W. *Lumina.*] V. N. ad Valer. Flacc. lib. I. vers. 763.—W. *condita,* clausa morte. Virgil. G. IV, 496: *conditque natantia lumina somnus.* Male huc Weitzius vocat ritum veterem manu condendi morientium lumina.—WERNS.

VERS. 75.—*Mugitûs iterans.*] Valer. Flacco id est lib. 8. v. 457. trahere suspiria vaccas. De vaccæ amore in fetum, ita Claudian. lib. I. de raptu v. 128.—*Vitulam non blandiùs ambit*

Torva parens, pedibus quæ nondum præterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.

Adi Lucret. lib. 2. vers. 352. Oppian. Halieut. I. vers. 724. et Cyneget. 3. v. 107. et seqq. Coint. Smyrn. l. 7. v. 154. ubi Deidamiam, Neoptolemi discessu plorantem, confert cum vaccâ, vitulam requirente. Et Andromache apud eundem lib. 13. v. 258. itidem comparatur vaccæ,

ἥδε ϑέει γοόωσα φίλον τέκος ἔνϑα καὶ ἔνϑα,
μακρὰ κινυρομένη.—W.

Mugit vacca dolore et desiderio amissi vituli. Ovid. Rem. 183: *Parte sonant alia silvæ mugitibus altæ, Et queritur vitulum mater abesse suum.* Idem Fast. IV, 459: *Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto.* V. Calp. E. IX, 32.—WERNS.

VERS. 76.—*Et voluit mori.*] Vide στοργὴν φυσικὴν εἰς τὰ τέκνα in brutis etiam, et obstupesce. Eum in sensum elegantia sunt Diodori verba lib. 2. Biblioth. ἀγαθὴ ἡ φύσις διδάσκαλος ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν οὐ μόνον ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γεννωμένων, διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωίας, τὰς διαδοχὰς εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κυκλον. W. *Voluit mori* accipi potest pro *brevi post mortua est.* Nam *velle* alteri verbo adjunctum sæpe eleganter abundare docuit Reinesius et Burmannus ad Petron. cap. 70, et sequioris maxime ævi scriptoribus eam formam usitatam esse ostendit Barthius Advers. XII, I. Signanter tamen *velle mori* dicunt eos, quos mœrore aut morbo confectos tædium vitæ cepit. Ovid. Met. X, 131, plane ut hic noster: *Ut sævo morientem vulnere vidit, Velle mori statuit.* Idem Trist. I, 3, 99: *et voluisse mori.* Hanc formulam, alias tantum homini aptam, Severus hic bruto, ut supra, v. 35 et 63, *mentem* et *animam,* applicat, non sine exemplo. Nam et apud Tertull. Apol. c. 30. *reprobus bos mori optans* dicitur macilentus et morbidus.—WERNS.

VERS. 77.—*Ne sitis aridas fauces opprimeret.*] In Catalect. Scalig. pag. 193. *Illic inter aquas urit sitis arida fauces.* Plaut. Mostell. *ubi sitis fauces tenet.* Weitz. Apoll. Rhod. 4. 1394. *ἐπὶ ξηρὴ γὰρ ἔκειτο Δίψα, arida incumbebat vel affligebat sitis.* Ibid. v. 1442. Δίψῃ καρχαλέος, *siti aridus.* Et v. 1417. — *ἀπὸ δίψαν Αἰθομένην ἄμοτον λωφήσομεν, sitim vehementer ardentem compescemus;* pro quò Anthol. 6. 3. 10. *ξηρὴν δίψαν ἐλαννόμενος.*—S.

VERS. 79.—*Admovit ubera.*] Virg. 4. Æneid. v. 367. *Hircanæque admôrunt ubera tigres.*—W.

VERS. 81.—*Vir gregis et pater.*] Stat. Achilleid. 1. *Ut pater armenti quondam rectorque futurus, etc.* Et 5. Thebaid. nominat *ductorem stabulique maritum.* A Virgilio Ecl. 7. vers. 7. *Vir gregis,* indigitatur *caper.* Quod ex Theocrito transumtum, qui dixit: *ὦ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ.*—W. *Solidi gregis.*] id est, armentorum. vide, quæ paullò ante ad vers. 63. è Schol. Theoc. attuli.—W. *solidi gregis,* totius armenti. Alias grex est ovium, et caper *virque paterque gregis* dicitur Ovid. A. A. I, 522.—WERNS.

VERS. 82.—*Cervicis validæ.*] *βαθεῖαι αὐχένι σάρκες,* Oppian. 2. Cyneget. v. 91. sive ut loquitur ibidem v. 51. *πλατὺν αὐχένα σείων.*—W.

VERS. 83.—*Plus nimio.*] id est, Supra modum, nimium, multò plus. Horat. lib. 1. epist. 10. *Quem res plus nimiò delectavere secundæ, Mutatæ quatiunt.* Et 1. carm. 33. *Plus nimio memor immitis Glyceræ.* Anton. ad Cicer. lib. 10. ad Attic. *Quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare.* Vide Gifan. Ind. Lucret. in Nimio plus. Weitz. Hor. 1. carm. 33. *Albi, ne doleas plus nimio.*—S.

VERS. 84.—*Prato herbido.*] Horat. 3. carm. 18. *Ludit herboso pecus omne campô.* Agrætius: *Herbidum locum dicimus, in quô herba est, et si aridus esse consueverit: Herbosum, qui herbam facilè generat, etiamsi ad tempus aridus sit.* Sophocli est λειμὼν βουθερής, in Trachin. Ubi consulendus scholiastes pag. 152. b.—W. *Concidit.*] Ita in brutis quoque Nemesis κολάζει lasciviam.—W.

VERS. 85.—*Quàm multis foliis silva cadentib.*] Æneid. 6. vers. 309. *Quàm multa in silvis autumni frigore primô Lapsa cadunt folia.* Contrarium habetur apud Val. Flacc. lib. 6. v. 167. *Quot foliis, quot floribus*

incipit annus. Confer Senecam Oedipo vers. 600. Zehner. Similitud. Biblic. ca. 101. Virg. 3. Georg. v. 470. hujusmodi utitur ὁμοιώσει:

Non tàm creber, agens hiemem, ruit æquore turbo;
Quàm multæ pecudum pestes.

Ovid. 7. Metam. v. 585. tali rem exprimit:

Vulgus erat stratum, veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agitatæque ilice glandes.

Imitatur Virgilium, Aen. VI, 309, ubi innumeras mortuorum umbras foliis autumno cadentibus comparat: *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia.* Pari similitudine in descriptione pestilentiæ utuntur Virg. G. III, 470, et Ovid. Met. VII, 585.—WERNS.

VERS. 86.—*Nudatur.*] Non est insolens, *folia* dici ramorum velamina. In quatuor annorum descriptione Asclepiadius:

Fronde nemus malè nudat hiems, amnesque rigescunt.

Seneca Hippol. vers. 93.

Ut nunc canæ frigora Brumæ
Nudent silvas.

Et Herc. Oet. vers. 383.

Et sæva totas Bruma decussit comas.

Medea vers. 715.

Aut rigida cum jam Bruma discussit decus

Nemorum.] Adi Indicem Dracont. in Comæ.—W. *Tacta Aquilonibus.*] Metam. 3. vers. 729. *Non citiùs frondes autumni frigore tactas, Jumque malè hærentes, altâ rapit arbore ventus.*—W. *Quàm densis fluitant velleribus nives.*] Coint. Smyrn. lib. 9. vers. 71

——νιφάδεσσιν ἐοικότες, αἵ τε φέρονται
ταρφέος ἐκ νεφέων, κρυερῇ ὑπὸ χείματος ὥρῃ.—W.

Velleribus.] Audax metaphora: quâ et Martialis usus lib. 4. epig. 3.

Aspice, quàm densum tacitarum vellus aquarum
Defluit in vultûs Cæsaris, inque sinûs.

Prudent. Hamartig. v. 917. posuit pro nube tenebrosâ: *Et opposito*

nigrescat vellere cœlum. Weitz. Aptè ad hanc metaph. Psal. 147. 16. *qui dat nivem sicut lanam:* pro quò Buchananus: *Qui nivibus celsos aperit, ceu vellere, montes.*—S.

VERS. 87.—*Velleribus.*] *Tacitarum vellus aquarum.* Ibi Raderus: Elegans est periphrasis nivium. vocat *vellus*, quia nix cadens similis lanæ; *tacitarum*, quia nullum crepitum strepitumve, ut grando vel imber, excitat. Arnob. lib. 2. *plumeas crustulas, et nives plumeas.* Græci ἐριῶδες ὕδωρ appellitant. Eustath. ad Dionys. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοί φασι. Pluria Meursius ad Arnob. Usus est voculâ et Melissus, ille vel ad vetus Latium elegans poeta, lib. 4. epigr.

Ninguit et hibernum cumulato molis acervô
Opplevere solum vellera densa nivis.—W.

Densis velleribus, h. lanis, quo sensu et Calpurnius, E. II, 78. De nivibus etiam Martial. IV, 3: *Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum Defluit.* Et Virg. G. I, 397: *Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.*—WERNS.

VERS. 89.—*Totum.*] Amavit posterior ætas *totum* dicere potiùs, quàm *omnia.* Ambros. de obitu Theodosii Imper. *De filiis nihil habeat novum, quod conderet, quibus totum dederat.* Zeno Veronensis Serm. de avaritia: *Totum possidet, et de inopia queritur.* Salvian. lib. 4. de gubernat. *Videamus, quid pro his cunctis reddimus, quæ debemus. quid scilicet? nisi totum illud, quod suprà diximus, quidquid indecens, etc.* Lib. 4. ad Eccles. Cathol. *Totum durum est, quidquid imperatur invitis.* Et sæpè ibidem obvium. Observavit hoc et *eruditorum ocellus Casaubonus* ad Spartian. pag. 270.—W. *Tegitur funeribus solum.*] Ammian. lib. 31. *Cum omnia cæsorum corporibus opplerentur.*—W.

VERS. 90.—*Inflantur tumidis*] Ut fieri si non semper, interdum consuevit, corporibus veneno è pabulis hausto occupatis: quemadmodum Plinius *bupresti potissimum devorato boves rumpi* scribit. Est autem is vermiculus scarabæo longipedi simillimus; bovem maximè inter herbas fallens.—S. *Inflantur*, intumescunt corpora, visceribus intus tabo et sanie diffluentibus.—WERNS.

VERS. 91.—*Albent lumina*, oculorum tristis rigor est, albugine tantum extante, eademque livore suffusa. *Nubibus* poetæ fœditatem, tristitiam, ipsamque mortem signant. Apud Claud. R. Pros. I, 81, Plutonis *caput mœstissima nubes asperat.* Virg. G. III, 523: *oculos stupor urget inertes.*—WERNS.

VERS. 92.—*Crura rigent pede.*] Sulpic. Servastus:

——— *Et vacuo crure tument genua.*

Persius Sat. 3. *in portam rigidas calces extendit.*—W.

VERS. 93.—*Tristium dirarumque avium.*] Sophocles Ajace: ῥιφδῶ κυσὶ πρόβλητος, οἰωνοῖς δ' ἕλωρ. Ibi Scholiast. οἰωνοῖς, ὄρνισιν. κυρίως δὲ γύπες. Ammian. lib. 31. *Reliqua peremtorum corpora diræ volucres consumserunt, assuetæ illo tempore cadaveribus pasci, ut indicant nunc usque albentes ossibus campi.* Apulei. lib. 6. *Cum canes et vultures intima protrahent.* Stat. lib. 9. Thebaid. nominat *catervas Incestarum avium, longè quibus aura nocentem Aëra desertasque tulit sine funere mortes.*—W. *Tristes diræque aves,* quæ Iliad. α. 4. οἰωνοὶ. Schol. br. σαρκοφάγοι ὄρνιθες, *aves carnivoræ,* ceu sunt vultures et corvi. Plutarch. συμπος. 8. 9. ὁ Θουκυδίδης ἱστορεῖ τὸν Ἀθήνησι λοιμὸν (ἀσυνήθη) γενέσθαι τεκμαιρόμενος αὐτοῦ τὸ μὴ σύντροφον μάλιστα, τῷ τὰ σαρκοφάγα μὴ γενεσθαι τῶν νεκρῶν. Thucyd. locus est lib. 2. f. 131. WOM.—S. *Tristes* et *diræ* aves sunt carnivoræ, corvi, vultures. Statius Theb. IX, 28, vocat *catervas incestarum avium.* Amm. Marcel. lib. 31: *Reliqua peremtorum corpora diræ volucres consumserunt.*—WERNS.

VERS. 95.—*Insistunt frui.*] *Insistere,* non conatum modò, sed et instantiam jugem infert, Afranius:

Idcirò hæc agere tecum secretò institi.

Catull. *Institit et ferri frangere duritiem.*—W. *Insistunt frui,* instant vorando, avide assidueque fruuntur.—WERNS.

VERS. 96.—*Heu! cur.* Plane ad hanc formam Silius, VIII, 82: *Mors testis, et ille, Heu cur non idem mihi tunc rogus.*—WERNS.

VERS. 98.—*Fatum necis.*] Periphrasis est, pro ipsa nece vel morte. Ita *Rota Solis,* id est, *Sol.* Lucret. *tempus noctis,* id est, *nox.* Stat. 2. Silv. *Falx Lunæ,* id est, *Luna.* Apulei. de Deo Socratis. Ita paullò ante v. 93. *Agmina avium.* vers. 94. *Canum greges.* v. 128. *Christi numina.* Adi Vechner. hellenolex. lib. 2. pag. 221. et seq.—W. Id est, nex vel mors: ut θανάτοιο τέλος, id est, θάνατος, Iliad. γ. 309. ut notavi ad Theogn. v. 766.—S. *Alteros.*] Schopp. in Synon. poët. *Alter, secundus, deinceps, pis, sequens, alius.* Horat. *Permutat dominos, et cedit in altera jura.* Vide Fest. in *Alter.*—W. *Transilit alteros.*]

Tale quid accidit olim in Ægypto, ubi à DOMINO per Mosen immissa fuit pecorum maxima lues: cum interim ex Israëlitarum pecoribus ne unum quidem moreretur, Exod. 9. v. 3. et 6.—S. *alteros* pro *alios*. Virg. E. III, 71: *cras altera mittam*. Vide Festum in *Alter*.—WERNS.

VERS. 99.—*En tibi.*] Pleonasmus vel παρέλκον τοῦ tibi. Terent. Eunuch. 4. 7. *Scin' tu, ut tibi res se habeat?* Lucret. lib. 5. *Ergò terra tibi limatur et aucta recrescit.* Cicer. ad Attic. *Hic tibi rostra Cato advolat.* Rittershus. ad Oppian. I. Cyneget. v. 89. Vechner. hellenolex. pag. 110. Comment. Terent. pag. 274.—W. *En tibi! τὸ tibi* παρέλκει. vid. Calp. E. VII, 33. *Salvo grege*, Virg. E. VII, 9: *caper tibi salvus et hædi.* Observo Tityri nomen a bucolicis plerumque pastori feliciori dari, qui salva habet pecora, amissa invenit, aliorum greges sine detrimento pascit. Apud Virg. E. I, 51, Melibœus ad Tityrum: *Nec mala vicini pecoris contagia lædent.* Conf. E. V, II. IX, 23, et Calp. III, 97.—WERNS.

VERS. 102.—*Quis te subripuit cladibus his Deus?*] Unicè DEO Opt. Max. adsignandum, quando è discrimine eripimur, vel liberamur à malo. ἀδυνατεῖ γὰρ οὐδὲν θεὸς, secundum Epicharmum Pythagor. apud Cl. Alex. 5. Stromat. τῷ ἐκείνου βουλήσει οὐδὲν ἀντιστῆναι δύναται. Bardisanes Syrus apud Euseb. lib. 6. præparat. τῶν ἀδοκήτων πόρον εὗρεν. Eurip. Vide prov. apud H. Jun. cent. 8. num. I. *Deo præeunte, nullus officit obex.*—W. Synes. epist. 139. θεοῦ παρόντος ἅπαν ἄπορον πόριμον.—S.

VERS. 103.—*Pestis.*] Qui purè Latina locuti sunt, *pestem* non dicunt morbum illum, sed pestilentiam. Pestis enim nihil aliud est, quàm pernicies et exitium. Virg. 3. Georg.

Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.

Et 9. Æneid. *Sed non auguriò potuit depellere pestem.* id est, mortem et exitium. Æneid. 10.

—— *Quid pestem evadere belli*
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes.

Attribuitur et rebus inanimatis. quidquid enim exitiosum est, lingua Latina *pestem* nominat, et quidquid rem aliquam pessumdat et prosternit. *Imperii pestis*, Cic. de arusp. respon. *pestis amicitiæ.* lib. 5. Famil. ep. 8. Sic de incendiò 5. Æneid. *Servatæ à peste carinæ.* Pro hominibus quoque ponitur pestilentibus. Cic. 10. Famil. ep. 28. *Tuoque*

beneficio adhuc vivit hæc pestis. (Antonius) Terent. Adelph. 2. 1. *Pernicies communis adolescentium, perjurus, pestis.* Cicer. pro domo sua: *Pestis Reipub.* Pro Rabir. *pestis civitatis.* Pro Sestio, *pestis patriæ.* Pestem etiam pro pœna accipiunt. 6. Æneid. *Nec funditùs omnes corporeæ excedunt pestes.* ait enim cor exerceri pœnis. Schopp. Ind. Priapeiorum. Boch. ad Psal. 1.—W.

VERS. 103.—*Pecudum.*] Homero πόκος lana fuit. unde hodieque in aliquibus Italiæ locis *pocam* certum lanæ pondus vocari aiunt. à πείκω seu πέκω pecto, carmino. πέκος et πέσκος τὸ, vellus. inde *pecudes;* quod tonderentur, πεκάδες. vide Scalig. de Latin. ling. cap. 29. et lib. 1. poët. c. 10. et 17. et Joseph. filium in Conjectan. ad Varron.—W.

VERS. 106.—Accommodate hoc dicit tum moribus pastorum, qui agris assueti, quæ in urbibus fiant, tantum fando audiunt, tum vero religionis Christianæ, qui tum erat, statui. Nam Theodosio imperante, eversis, quæ in urbibus erant, templis deorum, aut in ecclesias conversis, deorum cultores pagis tantum continebantur, in urbibus solus colebatur Christus. Hinc religio pagana dici cœpit, et *pago deditos, pago implicitos* gentiles vocat Prudent. in Romano, 296, et in Symm. I, 620. Vid. Herald. ad Arnob. lib. I, p. 3, et Rittershus. ad Salvian. de gub. Dei lib. VI, p. 565.—WERNS.

VERS. 107.—*Christus, gloria Numinis.*] Desumtum proculdubio ex Ebræor. 1. v. 3. quo loco Christus ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως θεοῦ nominatur. Δόξα verò, quam vulgò gloriam interpretamur, nonnumquam lucis et claritatis divinum ac cæleste jubar significat; uti videre est Exod. 34. 30. de fulgore faciei Mosaicæ. Et 2. Cor. 3. 7. Luc. 2. 9. Ἀπαύγασμα verò splendorem ex claritate illà resultantem notat. Sicut ergò per splendorem lux cognoscitur, et infirmi mortalium oculi placidiùs ferre splendorem Solis, quàm ipsam corporis Solaris claritatem possunt: Ita æternæ illius gloriæ et claritatis in Deo splendor et emanatio Filius esse significatur. D. G. Myl. in loco de Persona Christi.—W. Philipp. 2. 11. *Omnis lingua confiteatur,* ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός.—S.

VERS. 109.—*Mediis frontibus additum.*] Ita Prudent. Cathemer. 6. v. 129.

Fac, cùm, vocante somnô,
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet, &c.

Vide ibid. seqq. et in Romavo v. 586. et 621. De signo autem Crucis scripsit Alfonsus Ciacco.—W. De Crucis signo vel figurâ, si homo se illâ, verâ in Christum crucifixum fide, signet, esto. Athanas. orat. contra gentes tit. I. fol. I. *πᾶσα δαιμόνων φαντασία τῷ σημείῳ τούτῳ ἀπελαύνεται.* De incarn. Verbi, ibid. fol. 61. *τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ πᾶσα μὲν μαγεία παύεται, πᾶσα δὲ φαρμακεία καταργεῖται* etc. Vide ibid. fol. 75. Sed dixi, si verâ in Christum crucifixum fide. Nam ut apud eund. Antonius in sua vita *σφραγὶς ἡμῖν καὶ τοῖχος εἰς ἀσφάλειαν ἡ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν πίστις.* Sicut recens è m. s. codice edidit Cl. Hæschelius pag. 17. cum vetus aliàs interpretatio tom. 2. fol. 447. *Signum Crucis, et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* At sine fide, sola Crucis figura periculum facere nequaquam vel homini tutum; ut expertus, cui occinebatur versus iste: *Signa, te signa; temerè me tangis et angis.* Quid autem Crucis signum ad boves, et alia animalia bruta? *μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ θεῷ;* quod haud ineptè huc accommodes, è I. Cor. 9. 6. Mera igitur nec expers magnæ impietatis superstitio est, boum vel pecudum salutem ex articulo redemtionis deducere. Quod enim Psal. 36. 7. dicitur: *Jumenta salvabis Domine;* id non nisi de providentiâ et conservatione accipiendum: quò et illa pertinent Ps. 104. 14. Ps. 147. 9. Matth. 6. 26. etc.—S.

VERS. 110.—Seberus ad hæc: *Quid autem crucis signum ad boves, et alia animalia bruta? μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ; quod haud inepte huc accommodes ex I Cor. IX, 9. Mera igitur, nec expers magnæ impietatis superstitio est, boum vel pecudum salutem ex articulo redemtionis deducere.*—WERNS.

VERS. 111.—*Sic* interpretor *propterea,* quod Deus ille *hoc nomine,* hac re, nempe salute danda, *præpotens* est, hinc *vocitatus est Salvator,* Ἰησοῦς, Σωτὴρ. Sed fortasse pro *sic* legendum est *si,* hoc sensu: Si vero Deus Salvator, hoc nomine præpotens, *vocitatus,* h. invocatus *est;* fugit continuo, cet. Plane aliter Vonckius in Lect. Lat. lib. II, p. 134, qui putat, inepte verba hujus versus, quasi unius rustici sint, connecti, quum duo loquantur. Igitur sic emendat: BUC. Sic vero? TIT. Deus hoc (vel hic) numine præpotens Salvator vocitatus est.—WERNS.

VERS. 112.—*Salvator.*] Ἰησοῦς, Σωτήρ. Aliqui *Servator* malunt dicere, sed malè: ut demonstrat Dausq. in not. ad Basil. Seleuc. p. 84.—S.

VERS. 114.—*Morbis nil licuit.*] id est, nil valuere morbi; vim exerere et exercere suam non potuerunt.—W.

VERS. 115.—*Credere sufficit.*] Μόνον πίστευε. Marci 5. 36. Luc. 9. 50.—W.

VERS. 116.—*Sola fides.*] Exclusivam particulam odere Pontificii ὡς δίδαο πύλας: Sed ea tamen Patres Orthodoxi Græci et Latini sunt usi; qua de re videatur D. Lobech. disput. VII. artic. August. Confess. pag. 154. et seq. D. Hutter. explicat. Form. Concord. p. 321. et seqq.—W. Pontificiis particula *Sola* spina in oculis. Sed patrocinantur ei testimonia evidantia et ipsius Scripturæ sacræ, et DD. Patrum, quos longa Serie producit Cl. Zehnerus in Comp. Theol. p. 474. et seqq.—S. Ut voti tui damneris, juvabit tantum fiduciam in ejus auxilio posuisse.—WERNS.

VERS. 117.—*Madida est ara cruoribus.*] Lactant. lib. 6. cap. 1. *Templa et aras hostiarum sanguine cruentare.* Ibid. cap. 2. *Pecudum sanguine effuso aras inquinare.*—W. Non huic Deo victimis cruentis sacra fiunt, ut Diis gentilium.—WERNS.

VERS. 119.—*Sed simplex animi purificatio optatis.*] Lactant. divin. instit. epit. c. 2. *Quid igitur ab homine desiderat* DEUS, *nisi cultum mentis, qui est purus et sanctus? Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, hoc sacrificium verum non est, nec quod ex arcâ, sed quod ex corde profertur, non quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis victima est, quam de seipso animus immolat. Nam quid hostiæ? quid tura? quid vestes? quid aurum? quid argentum? quid preciosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est?* Vide eundem lib. 6. c. 24. et 25. M. Minuc. Felix Octav. *Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit! ut rejiciam ei suum manus. ingratum est: cum sit litabilis hostia, bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia, etc.* D. Bernhard. in Sentent. Ut DEO *reconciliemur, nec operibus, nec signis, sed puritate et simplicitate cordis indigemus, etc.*—W. Minuc. Fel. c. 32: *Litabilis hostia est bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia.* Similia vide apud Lact. Epit. c. 58 et 65.—WERNS.

VERS. 121.—*Nil moror.*] Comment. Terent. p. 157.—W.

VERS. 122.—*Veris famuler religionibus.*] Lactant. lib. 4. cap. 1. *Terrenis inhærere religionibus.*—W. Cyprian. in Sentent. Episc. suffr. 30. fol. 47. *Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.*—S. Etiam Cicero plurali numero dixit *solennes religiones*, orat. pro Mil. c. 27. HEUM. Lactant. IV, 1, 4. *Deorsum mentes hominum depressæ terrenis ut religionibus, sic etiam bonis, inhærebant.*—WERNS.

VERS. 123.—*Errorem veterem.*] *Veterem Deorum culturam.* Prudent. Psychom. v. 29. Benè Cyprian. contra epist. Steph. *Neque enim consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire debet, quo minus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod, relictô errore, sequamur veritatem.*—W. *Diffugiam.*] Rectiùs leg. *defugiam.*—W. *Errorem veterem,* h. e. Deorum cultum. Sic Prudent. in Symm. I, 507: *Talibus edictis urbs informata refugit Errores veteres. Diffugiam* edidit Pith. *defugiam* vult Weitzius. Sed hæc talia, ut diffugere et defugere, diffundere et defundere, distringere et destringere, sæpe permutantur, ut difficilis sit electio. Anthol. lat. Burm. lib. I, ep. 85: *Diffugiens pontum silvas Galatea peragrat.*—WERNS.

VERS. 124.—*Nam fallax.*] Egregie Lactant. lib. 4. cap. 3. *Teneri ergò veritas non potest, ubi homo idem multis patribus dominisque subjectus est, ubi animus, in multa dispersus, huc atque illuc divagatur, nec habere ullam firmitatem potest, quando certo et stabili domicilio religio caret. Cultus igitur Deorum veri esse non possunt: eodem modô, quô matrimonium dici non potest, ubi mulier una multos viros habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: à quâ enim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est. Sic et religio Deorum impudica est et incerta, quia fide caret, quia honos instabilis et incertus, caput atque originem non habet.*—W.

VERS 125.—*Jam properat mens mea visere.*] *Quasi totam se effundens in concupiscentiam, longo fine suspensa defectione dissolvitur.* D. Ambros. in Psal. 118. Serm. II. Videntur autem hæc desumta ex Psal. 121.—W. *Properat visere.*] Græcismus. Ita Terent. Hecyr. I. 2. *Nostra illicô it visere ad eam.* Vechner. hellenolex. I. pag. 150.—W.

VERS. 127.—*Congredimur.*] *βαδίζομεν ἄμφω οὐ μακρὰν ὁδόν.* Congredi, simul ire. Rarò obvium hoc in significatu. itaque notandum. Onomast. *συνδιατρίβω, congredior.* Aliàs Gloss. *Conditur, συμβάλλει μάχην. Congressio, ἡ συνσταδὸν μάχη.*—W. *Congredi* pro una pariterque ire positum, raro significatu. In aliis tamen similibus crebrius hic obtinet, ut in *conferre,* quando significat una cum alio ferre. Virg. G. III, 169: *coge gradum conferre juvencos.* Statius Silv. III, 3, 42: *Ipse tuli, quos nunc tibi confero questus.* Et *conferre legem,* pro simul et eodem tempore ferre, dixit Livius IV, 4, 9. Eodem pertinet, quod est in lapide antiquo apud Fleetwodum p. 300, *Supremum fati competiere diem,* h. simul petiere.—WERNS.

VERS. 128.—*Numina noscimus.*] Præ altero: *Numen agnoscimus:* tolerandum potiùs.—W. Pithœus, quasi pro emendatione, in ora posuit *numina noscimus*, idque in textum admisit Weitzius. Sed *numen agnoscimus* scribendum putat Outhovius ad carm. Sev. Sancti, p. 846, et nos id merito retinemus, quanquam nec male conjecit Vonckius, l. c., legendum esse *Christi et numina poscimus*, quomodo Virgilius, Æn. IV, 50, *Tu modo posce Deos veniam.*—WERNS.

VERS. 129.—*Et me consiliis jungite prosperis.*] Hoc est, quod Cato ille præcipiebat catus: *Cum bonis ambula.* Hinc D. Ambros. lib. 2. de vocat. gentium cap. 10. extremo: *Dum in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio.*—W. Zach. 8. 22. *Vadam etiam ego.*—S. Sic rescribendum autumamus: *Stat me consiliis jungere prosperis.* Stat, hoc est, firmiter decrevi: quo sensu ea vox usurpatur a Cicerone, Nepote et Virgilio. HEUM.—WERNS.

VERS. 131.—*Perpete sæculo* h. e. vita æterna. Minuc. Fel. c. 11: *Beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortuis pollicentur.* Festus: *Perpetem pro perpetuo dixerunt poetæ.*—WERNS.

VERS. 132.—*Vis morbida.*] id est, morbus. Periphrasis: alterum substantivum permutatur adjectivo. Lucret. lib. 6. vers. 1090. — *aut unde repente Mortiferam possit cladem conflare coorta Morbida vis hominum generi, pecudumque catervis.* Ibidem vers. 1152. *Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris.* Et vers. 1224. *Extorquebat enim vitam vis morbida membris.* Ita apud eundem *vis flammea*, pro flamma ponitur. Horat. 1. carm. 5. *Perrupit Acheronta Herculeus labor*, id est, Hercules. Sic Græci βίην ἡρακλείην et ἓίην Ἰφικλείην pro Hercule et Iphiclo dicunt. Confer Rittershuf. 1. Halieut. Oppian. v. 105. Vechner. hellenolex. 2. p. 224. Et hæc sunt, quæ ad elegantissimum hoc mihi carmen observare et annotare licuit; non illa quidem in mercibus numeranda Indicis, aut gemmis, sed littoralib. calculis aut algis viliora. Itaque nullum quoque illis precium statuo, sed hanc veluti stipem spargo publicam.—W. *Vis morbida* pro morbo, ut supra v. 89 *fatum necis* pro ipsa morte. Aliquoties hac forma utitur Lucretius, ut lib. VI, 1224: *Extorquebat enim vitam vis morbida membris.*—WERNS.

VI.—INDEX

VERBORUM JUXTA SERIEM VERSUUM.

ADMOVERE manûs medicas ... 28
———— Ubera 79
Ætas altera viderat 46
Ætas consimilis 37
Agit lætus 100
Albent lumina nubibus 91
Alta silentia 5
Amans tui 4
Angor 53
Animæ duæ in unô perditæ corpore 63
Anticipare, quæ metuenda sunt 27
Aquilonibus gelidis tacta silva 86
Ara madida est cruoribus 117
Aridæ fauces 77
Arvum mollitum 41
Aves diræ 94
—— tristes 93
Autumare non recta 9

Belgæ 23
Bos domitus 45
—— lævus labitur impetu subito 45
Bos sanus et integer 50
Boum ætas 37
—— fatum 39
—— lectorum corpora fortia 34
Boum mansuetudo 38
—— robur 38
—— sæta 37
Bucula errat poplite succiduô 66

Cædes pecudum 118
Canum greges 94
Caput victum deponere 52
Cernuus, Cernua junix 62
Cervix valida 82
Christi numina noscere 128
Christus, gloria numinis perpetui 107
Citius dicto 46
Claudere vulnus 8
Claudicare compede leti 68
Compede leti claudicare 68
Complere concava vallium ... 15
Concava vallium 15
Concolor sæta 37
Condere silentia sensibus ægris ..... 5 et 6
Condita lumina 74
Conficitur pectus damnis tuis, meis ..... 54 et 55
Congredi pariter viam non longam 127
Conjux tristis 47
Consequi necem 49

Consiliis prosperis jungere ... 120
Consimilis ætas 37
Consona crepitacula 35
Contrà est, quàm loqueris ... 9
Contueor 101
Corpora fortia 33
——— inflantur 90
Corripit morbus 30
Crepitacula concentu consona 36
Crucis signum 105
——— mediis additum frontibus 109
Cruoribus ara est madida 117
Crura rigent pede tensô 92
Cursu impiô nos nunc lues petit 24
Cursus citus est malis 20

Defugere errorem veterem ... 123
Demittere graviter lumina 2
Deponere caput victum 52
Deus perpetuus 107
—— præpotens 111
—— summus 126
Dic age Tityre 101
Dicto citius 49
Discrucior 53
Disjugo 47
Divisa sarcina 10
Doloribus prodest sermo 12

En tibi 99
Error fallax et inanis 124
Errorem veterem defugere ... 123
Ex aliâ parte 69
Exorare Deum 115

Famulari veris religionibus ... 122
Farra solo dare 41
Fatum triste necis vario modo transilit alteros, affligitque alios 98
Fauces aridæ 78
Fetura posterior 59
Fides sola juvat votum 116
Fluitant nives 87
Folia cadentia 85
Frons ardua 82
Frui optatis bonis 120
Fugit lues greges 113
Funeribus solum tegitur 89

Gelidi aquilones 86
Gemere miserè 75
——— tristia 2
Genæ manant lacrimis 3
Glæba putris liquoribus 42
Gravida junix 63
Gravor 57
Greges canum 94
——— fugit lues 113
——— salvos esse arbitror ... 56
Grex salvus 56, 100
—— solidus 81

Herbidum pratum 84

Ilia quatere pulsibus 31
Illyrici 22
Immemor graminis 65
Impetu subito 45
Incoquit sæviùs, quicquid tegitur 11
Inflantur tumidis corpora ventribus 90
Inhæret vomer 44
Insistunt canes frui visceribus 95
Iterare mugitus 75

Juga montium 16
Jungere consiliis 129
Junix cernua 63
——— gravida.. 62

Labi impetu subito 45
Labor longus peperit 18
Lapsa est spes meæ opis 17
Largifluæ lacrimæ 3
Leti compede claudicare 68
Levis 45

Liquores largi 42
Longum refugere 67
Lumina, id est, oculi 2
Lumina albent nubibus lividulis 91
——— condita 74
Lues cursu impio nos nunc petit 24
—— dira serpere dicitur 21
—— præsens rapit 60
—— sæva fugit greges 113
—— stravit pridem Pannonios, et Illyricos, et Belgas graviter ... 21 et 22

Malis citus est cursus 20
Mali solamen vel minimum ... 58
Manare lacrimis 3
Manus medicas 28
Mansuetodo boum 38
Mater saucia vulnere 73
Mentis geminæ crepitacula ... 35
Metus pervia sunt nulla signa 29
Miserè gemens 75
Mollitum solum 41
Moras pati 72
Morbidum uber 132
Morbis nil licuit 114
Morbus corripit 30
——— nec sinit languere 31
——— opprimit 30
——— nec patitur moras 31
——— nec pecudum cæde repellitur 118
Mors venit ante luem 32
Mugitus iterare 75

Nece parili victus 40
Nec longum refugit 67
Necem consequi 49
Neces crebræ pecudum 88
Nil licuit morbis 114
—— mali metuens 48
—— moror 121
Nives fluitant velleribus densis 87
Non secus 54
Nubibus lividulis albent lumina 91
Nudatur silva foliis 86
Numen perpetuum 107

Opprimit morbus 30
——— sitis fauces 78

Pannonii 22
Parilis nex 40
Pecudes vagæ 14
Pectus conficitur suis damnis 54
Pellere succis perniciem 26
Penitus condere 6
Perdita spes biduo 19
Perfacilis stiva 43
Pernicies noxia 26
Perpete seculo 131
Pervia signa metus 29
Pestem trahere ab ubere morbido 72
Pestis populata est vicinos ... 103
——— tibi pecudum nulla est 104
Petere cursu impiô 24
Pietas viget post mortem 80
Plaustris subdere corpora boum 33
Plus, id est, ulterius 48
Plus nimio sibimet placet 83
Poplite succiduo 66
Populari 103
Potens gregibus 13
Pratô herbidô concidere 84
Premere tacitum vulnus 8
Pridem 22
Progeniem pariter extinctam videre 62
Properat visere 125
Publicare mala 7
Pulsibus longis ilia quatere ... 51
Purificatio animi simplex 119
Putris liquoribus 42

Quàm densis 87
——— multis 85
——— potens 13

Quatere ilia pulsibus 61
Quid est, quod 97
Quidnam est 97
Quidnam gemis 1
Quicquid tegitur, sævitùr incoquit 11
Quis Deus subripuit te his cladibus 102
—— vera putet 61
Quò acrius 57
Quo potui studio 34

Refugere longum 67
Religionibus veris famulari ... 122
Renuens fontis 65
Repellitur morbus 118
Reserare vulnus 7
Robur boum 38

Sæculo perpete 131
Sata concolor 37
Salvator 112
Salus certa pecudum 110
Sarcina divisa, fit minus gravis 10
Saucia vulnere 75
Sed tamen 55
Sensus ægri 6
Sermo prodest doloribus 12
Serpere dicitur lues 21
Signa nulla metus pervia 29
Silentia alta 5
Signum Crucis 105, 109
Silva foliis nudatur 85
—— tacta aquilonibus 86
Sitis fauces opprimit 77
Solamen mali 58
Solivagus 1
Solitus nôsse 25
Solum totum tegitur funeribus 89
Sternit graviter lues 23
Stiva perfacilis tendit sulcos 43
Subito impetu 45
Subire matrem 71
Succiduo poplite 66
Succis salubribus pellere perniciem 26
Sufficit credere 115

Tacta silva aquilonibus 86
Tam, quám 85
Taurus cervicis validæ 82
——— frontis arduæ 82
——— vir et pater gregis 81
Tegitur solum funeribus 89
Tendit sulcos stiva 43
Texere vias 70
Trahere pestem ab ubere 72
Tumidi ventres 90

Ubera admovere vitulo 79
Uber morbidum 72

Vel, pro etiam 58
Velleribus densis fluitant nives 85
Ventres tumidi 90
Vias lascivas texere 70
Victum caput deponere 52
Victum nece 40
Vir et pater gregis 80
Vis morbida vincitur 132
Visceribus laceris insistere ... 95
Vitulus saliens 69
Vomer nusquam inhæret 44
Vulnus tristificum 73
——— claudere 8
——— reserare 7
——— tacitum premere 8

FINIS.

FREDK. SKILL, PRINTER, QUAY, YARMOUTH.


This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incu[illegible] by retaining it beyond the sp[illegible] time.

Please return promptly.

DUE JAN 13'41

DUE JAN 30'41